Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO FORENSE
36
10 B
7

U II 21

IOANNIS LESLÆI SCOTI, EPISCOPI ROSSEN. LIBRI DVO:

Quorum vno,

PIÆ AFFLICTI ANIMI CONſolationes, diuináque remedia:

ALTERO,

ANIMI TRANQVILLI MVNImentum & conſeruatio, Continentur.

Ad Sereniſſimam Principem D. Mariam Scotorum Reginam.

HIS ADIECIMVS EIVSDEM Principis Epiſtolam ad Roſſenſem Epiſcopum, & verſus item Gallicos Latino carmine tranſlatos, pias etiam aliquot preces.

Opus iis omnibus, qui hæc calamitoſa tempora pio fortique animo tranſigere cupiunt, admodum vtile: ab eodem auctore, dum pro dicta Principe apud Anglos legatione fungeretur, in carcere conſcriptum, & ad eandem miſſum, nunc verò in communem aliorum vſum in lucem editum.

Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos eius conuertet ad pacem. *Prouerb. 16.*



36.10.B.7

PARISIIS,
Ex Officina Petri l'Huillier, via Iacobæa, ſub ſigno Oliuæ.
1574.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

14 II 1 35

SERENISSIMÆ PRINCIPI, DOMINÆQVE SVÆ BENIGNIſſimæ, Mariæ Scotorum Reginæ, Io. Leſlæus Epiſcopus Roſſen. Humillimus ipſius ſubditus, & apud Anglos orator, mentem tranquillam, incolume corpus, ac optima quæque precatur.

CVM mecum tacitus in hac ſolitudine, Regina Sereniſſ. quot quantiſque de cauſis Tua Maieſt. deuinctus ſim, perpẽderem. Non equidem videor ingrati animi notam effugere poſſe, niſi ita officiar, vt non ſolum in omnibus Amplit. tuæ morem gerere, ſed & ſumma mentis alacritate me totum tuis rebus gerendis denouere cupiam. Nec iniuria, cùm ſub tuo, auorumque tuorum imperio, non primum modo ſpiritum hauſerim, & adoleuerim: Verumetiam multis honoribus, ampliſsimiſque muneribus, tua (vt ingenuè fatear) munificentia ſim exornatus. Verum enimuero, ea in præſentia rerum viciſsitudo contigit, vt ne communi quidem aura liberè mihi frui, nedum negotia publica tractare, aut ſolito munere perfungi liceat. Tantis enim vrgeor anguſtiis, tam arcta cuſtodia circundor, adeo

denique rerum omnium, quæ vbiuis gentium aguntur, ignarus ſum, vt nihil omnino eorum, quæ extra ergaſtuli mei ſepta geruntur, habeam exploratum. Vides princeps benigniſſima, quàm nulla mihi ſuſceptam legationis prouinciam explēdi, aut (quod hoc munus efflagitat) quid poſtulatum, quid reſponſum, decretum, actum, geſtúmue ſit, vel denique de ſumma rerum, ac legationis noſtræ, qua iam plures annos perfungor, ſucceſſu, ad T. primum Amplitud. mox ad procerum tuorum ſenatum conſiliumque referendi, relicta ſit oportunitas. Vellem equidem, atque vtinam liceret, vel ob id de rebus in hac prouincia publica, per me geſtis, coràm agere: quod id quicquid eſt acti, tum maioris ponderis & momenti eſſe iudicem, quàm vt alienæ fidei committēdum ſit: tum maiore rerum varietate implicatum, quàm vt vel per literas, vel per nuncium facilè explicari queat. Neque vero dubito, quin noſtra in hoc publico munere fides & induſtria tuæ Imprimis maieſtati vniuerſique regni tui ordinibus probabitur, ſi vnquam mihi libera renunciandi fiat poteſtas. Iam verò quādo neque literis, neque corā mihi his vinculis præpedito, de rebus iſtis agere liceat, Tuæ erit clementiæ, conceptam de meo ſtudio, fide, atque diligentia opinionem animo fouere: Nec de ſolita tua in me beneuolentia quicquam remittere. Tantum enim abeſt, vt iſta rerum ac temporum difficultate, de meo erga tuam maieſtatem obſequio, atque in rempub. officio aliquid deceſſerit: vt & grauiora ac maiore cum diſcrimine coniuncta, optimæ principis & chariſſimæ Reip. cauſa ſubire paratus

ſim. Et quanquam in iſta muneris interruptione non tam curarum multitudine ſolutus (quod quibuſdam videri poteſt) quàm nouo inſolitóque moleſtiarum genere obſeſſus ſum, Ne tamen animum contraham, ſpémue in rebus parum ſecundis abiiciam, diuina me monent oracula: Idque adeo, vt aulico in primis tumultu (multorum ſane malorum ſcaturigine) derelicto, aliam, in hac potiſſimum ſolitudine degendæ vitæ rationem ineam, omnino perſuadeant. Afflicto ſiquidem & iacenti animo præſentius aliud ſolatium inueniri non poteſt, quàm ſi pia diuinorum operum meditatione, ſacroſanctæ ſcripturæ lectione aſſidua ac feruenti, ſupremi quoque numinis inuocatione, Dies noctéſque traducat. Hinc nimirum nectar illud cæleſte (quod qui bibit non ſitiet in æternum) tanquam è fontibus irriguis manat: Hinc robur atque conſtantia, quibus aduerſæ fortune tela repelluntur, elici ſolet: Hinc denique & potio ſalutaris aduerſus omne genus doloris tanquam ex inſtructiſſimo aliquo pharmacothecio gratis volentibus propinatur. Non aliunde igitur ad fractas multis ærumnis animi vires reficiendas, efficatius quicquam peti poteſt, præſertim cùm humani generis benigniſſimus ſeruator Chriſtus huc nos inuitet: Venite ad me (inquiens) omnes qui laboratis & Math.11.
onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quod & per Regium pollicetur vatē, dum ait: Inuoca me in die tri- Pſal.49.
butationis eruam te & honorificabis me. Hoc eodem remedio idem vates ſuos leniuit dolores: ideoque cecinit. Tribulatio & anguſtia inuenerunt me Pſal.118.
& lex tua meditatio mea eſt: & conſolationes tuæ

lætificauerũt animam meam. Nam quemadmodum qui decepti venenum hauſerunt, vim illius exitialem antitodo aliquo protinus extinguere nituntur: Ita nobis proculdubio faciendum eſt, quoties venenum, quo animus noſter letaliter diſſoluitur, guſtauerimus: Diuinum enim quamprimum ſuſcipiendum nobis eſt medicamentum, cuius ſalutari vi illud virus opportune expellatur. Eiuſmodi medicamentum, ex diuini quidem verbi præſcripto compoſitum, ac per meipſum iampridem delibatum, Tuæ Maieſt. (ne alicubi deeſſe videar) confidenter propinare decreui, arbitratus, ſi id vltro epotes, illud ægritudinis genus, quod tuum animum, meritò torquere videtur, facile depulſum iri, ita vt dolore omni profligato, quieta ac tranquilla mente, flante ſiuè proſpera, ſiue aduerſæ fortunæ vēto, eſſe queas, & quaſi in portu ſecura, incolumiſque ſis nauigatura. Etenim præſentius nullum remedium ægris animis adhiberi poteſt, quam ſanum conſilium, quod abſque fuco ex amici fideli pectore promanat. Sicut vnguentum & odores boni, inquit ſapiens, lætificat cor, ſic & bonis amici conſiliis anima dulcis redditur. Nam omni tempore diligit qui amicus eſt: & frater propter anguſtiam naſcitur remouendam. Qua de re prudenter quidam admonet his verbis.

Nec quiſquam melior medicus quam fidus amicus.

Et certe, quanquam ingenij Doctrinæque noſtræ vis exigua huic inſtituto, prout ipſius rei dignitas,

ac T. maxime exigit Maieſtas ſatisfacere non valet: Verumtamen de hoc ipſo argumenti genere (idque latino vtcumque ſermone, vtpote Maieſtati T. familiari, reique tractandæ accommodato) paucis agere in animum induxi. Non quòd conſolatione mea admodum indigeas, quæ omnia tam patienter (vt principem decet) ſuſtineas: ſed ne officio meo aliqua ex parte deeſſe videar, hæc quàm nihil ſcribere malui. Porro, non ſum neſcius apud pleroſque inoleuiſſe conſuetudinem, vt dum ſuos principes aut mecœnates ſcriptis ſalutãt, toti in rebus ad gratiam compoſitis, atque adeo in celebrandis eorum encomiis verſentur. Quod & ego iure quidem optimo, ob eximiam tuam in me crebramque benignitatem præſtare poſſem. Neque verò deſunt argumenta cum tot tamque inſignes, tam corporis quàm animi dotes, quot in alia quauis principe raro elucere ſolent, tibi à Deo opt. max. (cui ſoli omnis honos & gloria) conceſſas, vel aduerſarii prædicant, ne dum amici. Quod non minus ſcitè quam verè poëta ille, vt noſtro ſeculo celeberrimus, Ita ob inſignem tuam in ipſum beneficentiam tibi deuinctiſſimus, non adeo pridem paucis verbis adumbrauit.

Nympha Calidoniæ quæ nũc fœliciter orę,
Miſſa per innumeros ſceptra tueris auos:
Quę ſortem anteuenis meritis, virtutibus annos,
Sexum animis, morum nobilitate genus.

Verumſatis perſpectam habeo, Sereniſſima Regina, animi tui modeſtiam, quæ nulla re minus quam tuarum laudum præconiis delectatur. Illud nimi-

rum ſapientis eſt,neque laudibus efferri, neque falſis deiici calumniis.Proinde Rhethoribus atque Poetis, quod ipſis congruit, miſſum faciam, ad id quod mei muneris, loci ac temporis proprium eſt, quodque preſens rerum ſtatus atque ratio poſtulat, iam properabo.Neque enim incertus ſum id Tuæ Maieſt. per quàm gratum acceptúmque fore.Memini, Princeps Illuſtriſsima,memini inquam, quanta animi æquitate plenos deſperationis languores, tùm Iedburgi in Scotia, tùm Scheſeldiæ in Anglia pertuleris: quàm interea conſtanter & aſsiduè ſanctiſsimum Dei numen inuocaris, quanta denique animi propenſione de cœleſtibus miſteriis verba facientem me audiueris. Illud videlicet præ cæteris tibi curæ fuit, vt tum orandi aſsiduitate, tum diuinorum verborum & perennis illius gloriæ, quam nec oculus vidit,nec auris audiuit, inculcatione, ad rerum mundanarum contemptum temet prouocares:Ita vt cœleſtium rerum meditatione Sathanæ communis humani generis hoſtis inſultus gnauiter ac ſtrenuè repelleres:quin etiam mentem diuinæ ſuauitatis odore contra mundi illecebras & fucatam felicitatis imaginem imbueres:Eò denique cõtendere tùm mihi viſa es: vt quemadmodum ceruus canum inſectatione multum delaſſatus,anhelans ac ſitibundus riuos ac fontes quærit:ita animam tuam à corporis nexu liberari & beata cum Chriſto frui vita optares. O quàm ego tum temporis libenter,quicquid ſtudiis atque vigiliis conſequutus eram, ex arbitratu profudi. At verò nunc poſtea quàm egomet variis cum corporis tum animi calamitatibus vtputa ad-

uerſa valetudine, diuturno carcere, maximo chariſſimæ parentis patriæ noſtræ deſiderio, aliis denique innumeris anguſtiis affligi, atterique cœpiſſem, nullum non mouebam lapidem, vt mihimetipſi præſentem medicinam in ſingulis hiſce meis incommodis inuenirem. Quam quidem tandem etiam in huius turris ergaſtulo (vbi quaſi manibus pedibuſque ſub tot ferreis repagulis, ſæuoque cuſtode teneor) Dei ſingulari beneficio videor mihi adeptus. Graui itaque atque dura nimis edoctus experientia, liberius nunc multò atque conſultiùs, quam quouis anteacto tempore conſilia poſſe ægrotis dare, mihi perſuadeo. Etenim locus hic (vt de aliis interim nihil dicam) in quo nunc detineor, rectè aduerſæ fortunæ ſchola, ſeu potius cathenatorum paleſtra dici poteſt. In eo enim continuos Athletarum militúmque fortiſſimorum contra dolorum & moleſtiarum impetus & olim & nunc quotidie ſtrenuè luctantium conflictus videre licet. Quot, quæſo, Reges potentiſſimi, Reginæque illuſtres, Duces magnanimi, praeclari Comites, grauiſſimi Epiſcopi, ſtrenuíque Barones & Equites, atque omnium ordinum viri nobilitate & prudẽtia celebres, hic ſuis honoribus, titulis, dignitatibus, aliíſque fortunæ bonis (vt annalium monumenta teſtantur) priuati, aduerſa omnia non ſine ſumma animi fortitudine æquanimiter ferre didicerunt? Neque caſtra hæc, miſeris ſuis nunc etiam militibus vacant. Quid, quòd in preſentia haud infimi ordinis viri, hic anxij detinentur? Qui longa nihilominus patientia calamitatis & ærumnarum crucem placidè ferre didicerunt: Atque adeò iam ſe mori para-

tos, admiranda animi magnitudine declarant: probántque nihil ſapientum grauitati atque conſtantiæ magis congruere, quam nec proſperis nec aduerſis de gradu dimoueri, ſed eundem ſemper, ſapientiſſimi Socratis exẽplo vultum in omnibus ſeruare. Horum profectò hominum ſors, tantaque cum virtute coniuncta, mihi in eadem quidem paleſtra dimicanti, inſtar lucidiſſimi ſpeculi, facta eſt. Vnde leuius mea ferre incommoda perdiſcam. Nam cum quantis miſeriis ſubiaceant potentes & illuſtres viri cernerem, accedente meorum malorum mole, eò tandem adductus ſum, vt remis veliſque inueſtigandum putarem, qua tandem ratione & conſilio incertiſſimi rerum humanarum motus, iniuriæ præterea, diuexationes, calumniæ, bonorum naufragia, honorumque priuationes, & id genus huius ſeculi ludibria æquanimiter ſint perferenda. Nec antè deſtiti, quàm è diuini verbi oraculis quædam apprimè huic inſtituto conducẽtia decerperem, ac in lucidiſſimam ſeriem redigerem. Quæ vel ob id maxime cum Tua Maieſtate communicanda putaui; quòd in hac rerum & tẽporum iniqua (vt ne quid grauius dicam) & nimis dura metamorphoſi ſingularis eorum vis ſit & ineffabilis voluptas. Hanc itaque qualem qualem meæ erga T. Maieſt. voluntatis officiique ſignificationem, grato pro ſolita tua clemẽtia animo, accipere digneris, etiam atque etiam rogo. Interea Deum opt. Max. tutiſſimum in ſe ſperantium præſidium aſſiduis precibus interpellare nõ ceſſabo, vt tandem aliquando Maieſt. tuam curis ac

moleſtiis liberet, & quam diutiſsimè nobis incolumẽ ſeruet. Exergaſtulo noſtro in turri Lõdinenſi octauo Maij. 1572.

Maieſt. tuæ ſeruus addictiſsimus & Orator Io. E. Roſſen.

IN IOHAN. LESLÆI ROSSEN. *Epiſcopi conſolationes. Ode. Tricolos Tetraſtrophos.*

EReptus Orci faucibus, & ſibi
Tandē benigno numine redditus,
Quem corporis diu ægritudo
Ancipiti tenuit periclo,
Quæ ſit mali vis experientia
nouit magiſtra: notaque priſtinæ
Morbo laborantes eodem
Pharmaca reſtituent ſaluti.
Leſlæus ægri pectoris impetus
Labore longo ſuſtinuit graues:
Omneſque fortunæ procellas
Pertulit indomitus nouercæ.
At nunc ſecunda ridet adorea,
Diuina ſorti pharmaca noxiæ
Præbens: vt aliis ſint ſaluti,
Quæ proprium pepulere morbum.

A. B

IN ANIMI TRANQVILLI *munimentum ode. Dicolos Tetraſtraphos.*

Vino vendibili non hedera eſt opus:
Néc patrocinij laudibus indiget
Præſentis ſeries docta voluminis,
Quo non eſt aliud prius.
Nam paucis foliis plurima continet:

Triſti ſollicitis mente dat ocium,
Curarum miſeris fluctibus obrutos
In pacis ſolio locat:
Afflictis animis dat patientiam,
Ægris corporibus dat medicamina,
Captiuos homines carcere liberat,
Solatur ſimul exules.
Ergo ſi ſapias, quiſquis es, hoc opus,
Fortunæ varias quod ſuperat vices,
Fœlicemque facit qui miſer extitit,
Paruo emptum precio legas.

T. S.

TYPOGRAPHVS LECTORI. S.

EN tibi, candide lector, Reuerendi patris Iohannis Leſlæi Roſſenſis Epiſcopi viri vtriuſque profeßione Iuris & Catholicæ fidei propugnatione conſpicui, libri duo, quorum vno piæ afflicti animi conſolationes diuinaque remedia: altero animi tranquilli munimentum & conſeruatio continetur. Ille ſacrarum literarum exemplis, hic humanioris literaturæ & profanorum ſcriptorum documentis abūdat. In quibus intueri licet operis auctorem, vtriſque diuinis ſcilicèt & humanis ſtudiis non vulgariter inſtructum atque exercitatum. Quin & inſignem viri memoriam deprehendes, qui cum pro Sereniſsima, illuſtriſsimaque Principe Maria Scotorum Regina apud Anglos legatione fūgeretur, in carceris ſqualore ac tenebris hæc ſcripſerit, magna corporis & animi ægritudine, libris & rebus omnibus ad hanc rem neceſſariis deſtitutus. Vides opus ſane perutile, non inani verborum oſtentatione ſeſe venditans, ſed pondere ſentētiarum & ingenij fructu plenum. Quod ipſius lectione facilius tibi, quàm oratione mea perſuadebis. Bene fruere & Vale.

IO. LESLÆI E. R. SCOTI, PIARVM AFFLICTI ANIMI CONSOLATIONUM, AC DIUINORUM REMEDIORUM,

LIBER VNVS.

Dauid, Rex pius, afflicti Principis imago, ſua animi magnitudine, aduerſa patienter ferenda docet. CAP. I.

MAGNANIMVS ille Rex, ac Propheta eximius, Dauid, ſingulari Dei beneficio, ex humili ouium paſtore, oleo ſancto vnctus, regióq; ornatus diademate, inter omnes omnium ætatum Dei cultores, ſuæ pietatis, & iuſtitiæ lucidiſsimum à Domino teſtimonium accepit, Euangelico Propheta, ac etiam Apoſtolo ſic loquente:
Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum *Eſa.11.*
Act.13.
cor meum, qui faciet omnes voluntates *Pſal.88.131*
meas. Quem præ cæteris omnibus terrarum *2.Reg.7.*
incolis, tanto fauore dignatus eſt, vt ex eius *Luc.1.*
lumbis, & ſemine, ſuum vnicum natum ve- *Act.2.*
rum Meſſiam, & humani generis redem-

ptorem, Chriſtum naſci voluerit: & tamen nullus vnquam mortalium plures grauioréſque, quàm ille, perpeſſus eſt in vita moleſtias. Siquidẽ illius tota ferè vita nihil aliud, quàm ſtrenui cuiuſpiam athletæ, contra aduerſa omnia dimicantis, conflictus fuit, vt ærumnoſæ vitæ typus & imago debeat exiſtimari: quippè qui pios omnes exemplo ſuo, quid in periculis cogitandũ, quid agendum, quibus denique rationibus ab iis eripi & liberari queant, apertè docuerit. Quid illum, aſſentatorum quorundam cõſilio, per-
1. *Reg*.19. ſequẽte Saule, egiſſe legimus? Negato enim
22.23. vſpiam in ditione ſua latitandi loco, ad communes patriæ hoſtes profugit: vbi omni auxilij ſpe deſtitutus (quanquam indè abire liberum ei fuit) ipſe cum ſuis per rupes, & loca ſolis ibicibus peruia, pluribus annis huc atque illuc incertus vagabatur: quæ certè incommoda faciliùs, æquioréque animo, priuatus, quàm Rex, ſuſtinuiſſet. Graue profectò illi admodum erat, cùm per filium ſuũ Abſalonem, impiorum hominum ſuaſu, regali ſede pulſus, omníque regia poteſtate eiectus eſſet: neque multò leniùs, cùm impius filius, in patris ſolio, pro Rege inauguratus ſedebat. Principi ſanè magnanimo durum ac triſte ſemper viſum eſt, dignitate atque potentia, in qua tanto cum ſplendore vixerit, per vim cogi diſcedere. Eiuſmodi enim mutatio ſine magna animi ægritudi-

ne exiſtere non poteſt. Verum eſt enim illud Poëtæ,

Quem res plus nimio delectauere ſecundæ, *Hora. lib. 1. Epiſt. ad Fuſcū Ariſtiū.*
Mutatæ quatient.

Sed longè grauiſſimum erat, regno per filium eiici. Quod idem Dauid, Abſalonis fugiens tyrãnidem, hoc lugubri carmine conqueritur: Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtiq; : ſed homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Idem acerbiſſima quoque maledicta, probráque, quaſi regnum Saulis contra ius fáſque affectaſſet, atque inuaſiſſet, audire, ferréque coactus eſt. Et ideò Deum de ſua erga hoſtes integritate conteſtatus poſtulat, à linguarum virulentia liberari: perſuaſum habens, diuturnæ in hoc ærumnarum oceano patientiæ rationem illum habiturum, & pro maledictis benè ſecum acturum. Sic enim orat: Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. An non acutiſſimis animi corporíſque infirmitatibus ſæpiuſculè affectus eſt? quarum maximos impetus his verbis deſcribit: Non eſt ſanitas in carne mea, non eſt pax oſſibus meis. Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis. Cor meum conturbatum eſt: dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum. Aliud denique ærumnæ genus his om-

Pſal. 54. *Pſal. 119.* *Pſal. 37.*

nibus longè moleſtius tulit: cùm nempè ty-
rannide quorundam à domo Domini lon-
giùs abeſſe cogeretur: ita vt in cœtu pioru͂,
ſolito more, Dei celebrare præconia, & eius
inuocare nomen, ſanctáque ſacrificia debi-
to ritu frequentare, ei non eſſet liberum, vt
Pſal.41.62. mœſtus hoc hymno cecinit: Quemadmo-
dum deſiderat ceruus ad fontes aquarum,
ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit
anima mea ad Deum fontem viuum: quan-
do veniam & apparebo ante faciem Dei?
Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac
nocte, dum dicitur mihi quotidiè, Vbi eſt
Deus tuus? Nec tame͂ pius ille Rex his aliiſ-
que agitatus procellis, ac maximis angu-
ſtiis, prorſus animum demiſit, ſed inuicto
mentis robore omnia perferens, ad Deum
tutiſſimum in rebus fractis aſylum ſemper
confugiens, aſſiduis ab eo precibus omni-
modam ſecuritatem impetrauit. Atque ita
tandem ſublatis inimicis, in regnum reſtitu-
tus, ſecura quiete, pio ac fœlici otio, reli-
quum ſuæ vitæ tempus proſperè tranſegit,
3. Reg. 1. & 2. & regnum filiorum ſapientiſſimo Solomo-
ni, eiúſque poſteris ſtabiliuit: ac longo tan-
dem confectus ſenio, placida cum morte
vitam commutans, diuturnam poſt ſe me-
moriam, ac lucidum conſtantiæ in rebus
duris, infracti animi ac pietatis exemplum
omni æuo recolendum, maximè autem po-
tentiſſimis quibuſque Monarchis, Princi-

pibus, & aliis quibuſcunque Dei cultoribus reliquit.

Sed quorſum has Dauidis moleſtias inculcamus? Vt meminerimus, homines etiam pios, Deo probatos & electos, ipſius quoque diuino afflatos ſpiritu, ærumnis, doloribus & curis minimè fuiſſe vacuos: vtque illorum exemplo, ſpem non abiicere, ſed forti patientique animo, ſimiles rerum iactationes ferre doceamur.

Peccata, ærumnarum & malorum, quibus etiam Deo chari frequenter vrgentur, cauſæ.

CAP. II.

HOc autem imprimis perſuaſum nobis habere debemus, huiuſcemodi mala, non à fortuna & caſu (vt ſtultorum hominum ac gentium vulgus opinabatur) ſed ſummi ac præpotentis Dei, omnia rectè, prudentérque gubernantis, prouidentia, arbitrio, ac certa prouenire ſcientia. Non hoc genus calamitates, irati iudicis interimere volentis, verùm amantiſſimi patris, filios caſtigantis, & in officio continere cupientis, perſpicua ſunt argumenta. Atque ideò illius voluntati abſque murmure parendum eſt, adeò vt quicquid nobis miſeriarum obuenerit, id omne nequitiæ noſtræ, temeritatíque acceptum ferre debeamus: neq; propterea de ipſius erga nos paterna clementia

deſperare, ſed firma ac conſtanti fiducia diuinis illius pollicitationibus adhærere. Quo fiet, vt cuncta huius vitæ incommoda, ſpreto cum ſuis illecebris mundo, æquanimiter ſuſtinentes, mortem ipſam, vti malorum omnium finem, lætis animis obeamus, ac tandem hoc corporeo ſoluti carcere, & exilio, quo à Domino, tanquam in alieno ſolo peregrinantes, abſumus, liberati, in cœleſtem illam patriam, piis omnibus Dei liberalitate paratam, in perpetuum tempus cum illo victuri admittamur. Hæc alto nos pectore, calamitatibus afflictos potiſſimùm & attritos, meditari, anteactæ noſtræ vitæ rationem diligentiùs inire, atque ad calculum reuocare decet: ſincera deinde ad Deum pœnitentia conuerti, & diuinam eius opem ſedulò implorare conuenit. Tunc enim haud dubiè viuifico ſpiritu ſuo paracleto nos cōſolabitur, & noſtris quamlibet grauibus medebitur morbis, cunctóſque depellet tum animi, tum corporis dolores. Exindè alacriores multò inueniemur, vt qui probati, fortiter, Dei munere, animóque inuicto validos hos impetus pertulerimus. Quæ omnia diuina ſapientia per Prophetas & Apoſtolos, partim ſcripturis ſanctis, partim pio illorum exemplo, dilucidè nos docuit. Et vt ordine perſpicuo ſingula exactiùs inueſtigare, & de iiſdem aptè diſſerere poſſimus, ſolertium Medicorum exemplo pro-

gredi viſum eſt, qui morbo languentem curaturi, non niſi priùs de morbi cauſa diligentiſſimè inquiſiuerint, medicamentum propinant. Eodem planè modo communibus hiſce, quibus humanum genus torquetur, malis mederi cupientes, eorundem primordia atque cauſas indagare, & radicitùs euellere conſentaneum eſt.

Idcircò paulò altiùs ad primum noſtrum parentem, & protoplaſten Adamum, à quo noſtri omnis origo mali, calculum reducere oportet. Hunc itaque, Sereniſſima Regina, imprimis mecum conſidera talem, quem Deus creatum ad imaginem ſuam in paradyſo deliciarum collocauit, immortalitatē vitæ, & fruitionem æternorum bonorum, in conſeruatione mandatorum ei promittens: qui tamen, ſerpentis ſuaſu, Dei mandatum tranſgreſſus, à fœliciſſimo illo ſtatu, atque etiam paradyſo, iuſtiſſimo quidem decreto deiectus, miſeriis omnibus, & morti quoque ſe reddidit obnoxium. Cuius peccati pœnā, ſicut & peccatum ipſum, in omnes Adami poſteros dimanaſſe teſtatur Apoſtolus, inquiēs, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Indè fit, vt ij, qui terram incolunt, terrena ſapiant: quin & eorum cogitationes omnes omni tempore ad malum pronæ perſpiciā-

Peccatū Adæ, vnde omnes miſeriæ. Gen. 3.

Rom. 5.

Gene. 6.

tur. Olim eò impietatis prolapſi ſunt, vt Dominus animo commotus, & interno dolore tactus, vniuerſum hominum cœtũ, ad octo vſque animas, aquarum inundatione deleuerit. Hinc (ab Adami lapſu nimirum) omnes illæ lachrymæ: hinc rapidus omnium cupiditatum torrens, errorum fons, & calamitatum abyſſus: hinc denique omnium miſeriarum noſtrarum colluuies. Nam ſi immundum hominis conceptum, eiúſque ortum, atque modum, quo mundum ingreditur, intueamur, vel ex prima quam edit voce, miſerrimus videbitur. Et ſanè reliquum vitę tot malis obnoxium eſt, vt vix, quod viuimus, vita dici mereatur, cùm tã ſit caduca, impura, miſeriis & erroribus plena, vt in ea ſingulis quibuſque momentis, nec vno quidem malorum genere, quaſi deficiamus. Ita certè rebus noſtris Natura cõparatum eſſe videmus, vt humores tumida reddant corpora, dolores extenuent: ardore atque æſtu exiccẽtur, inficiat aër, eſcæ inflent, macerẽt ieiunia, triſtitiæ conſumant, coarctet ſollicitudo: diuitiæ cæco impetu rapiant, inaniter iactare ac ſuperbire impellant: paupertas deiiciat, iuuentus efferat inſolẽtes: quorum valida membra atque vires ſenectus tãdem incuruet, infirmitas frangat, tabeſcens quoque deprimat mœror. Et poſtremò his malis mors ſuccedit, qua corpus in fœdiſſimã reſoluitur materiam, qua vna, vno mo-

Plato in Axioch. Plinius in proœmio. lib. 7. Nat. hiſt.

mento, cunctis falſis vitæ gaudiis ita finis imponitur, vt cùm eſſe deſierint, non fuiſſe putentur. Hæc quidem Propheta Ieremias, quem Dominus in vtero ſanctificauit, mente reuoluens, lugubri gemitu ſuum deplorauit ortum, inquiens: Quare de vulua matris egreſſus ſum, vt viderem laborem, & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei? Patientiſſimus quoque Iobus grauiter de ſuo ſtatu dolens, conqueritur: Quare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret: fuiſſem, quaſi non eſſem, de vtero tranſlatus ad tumulum. *Ierem. 20.* *Iob. 10.*

Verùm propiùs ad inſtitutum accedamus. A nobiſmetipſis rationem petere, ac malorũ cauſas ex noſtris delictis, factíſque inquirere decet, & iuſta examinare trutina, quibus rationibus Deum offendimus, quoties irrita habuimus illius præcepta, eiúſque voluntati fuimus rebelles, eum ad iracundiam prouocantes: tum certè noſtra conſcientia iudice reperiemus, quòd noſtra ob peccata, ſua in nos meritò fulmina iaculetur. Sic nãque Propheta ad peccati agnitionem & reſipiſcentiam incitans, de ſemetipſis ſentire ſuadet. Scrutemur (ait) vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. Nos iniquè egimus, & te ad iracundiam prouocauimus: idcircò tu inexorabilis es. Operuiſti in furore, & percuſſiſti: occidiſti, nec pepercisti: oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat *Ierem. Thre. 3.*

Daniel.3. oratio. Omnia (inquit Azarias, Deo charus, in fornace ardenti cum ſociis exiſtens) quæ induxiſti ſuper nos, & vniuerſa quæ feciſti nobis, vero iudicio feciſti, quia peccauimus, nec obſeruauimus præcepta tua. *Pſal.38.* Propter iniquitatem (ait Dauid) corripuiſti hominē, & tabeſcere feciſti, ſicut araneam, animam eius. Poſſem ego innumera in hāc ſententiā adducere ſcripturæ teſtimonia, quæ breuitati ſtudens prætermitto, alia perſecuturus.

Ac primum quidem, viri illi ſummi, omniúmque iudicio pij, ac Deo maximè chari, ab huius vitæ miſeriis & angoribus nō fuerunt immunes. Siquidem & illi etiam communi peccatorum ſarcinæ obnoxij fuerunt, & naturæ fragilitate cæteris pares. Quis dicere poteſt, *Prouer.20.* Mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato? Nam ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, *1. Ioan.1.* ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Pſal.13.51.* Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti: *Rom.3.* non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. *Iob.4.25.* Et in Angelis ſuis Deus reperit prauitatem: quantò magis in hominibus, qui bibunt, quaſi aquam, iniquitatem, cùm in multis offendimus omnes? *Iacob.3.* Et quanquam grauiora forſan videbantur aliquandò ea quæ paſſi ſunt homines pij, quàm illorum exigebant delicta: tamen leni, placidáque mēte res ſuſtinuere aduerſas, nec querulo murmure, iuſto Dei iudicio reluctabantur. Vti archety-

pus ille noſter Dauid, cùm ſine cauſa ipſum perſequebatur Saul, patientiſſimè ſuum tulit exilium. Idem & cùm regno per Abſalonem filium pulſus, & fugiens, maledictis Semei impetitus eſſet, vindictæ non appetens, cùm infœlicem rerum ſuarum ſtatum conſideraret, cauſam ſuæ calamitatis peccatis aſcripſit, à quibus liberari maiorem in modum cupiebat. Quid dicam de miſeriarum tolerātiſſimo ipſo Iobo, quem verè ſimplicem eſſe, & iuſtum teſtatus eſt Dominus? Quis tamen illo vno maiora, acerbioráque vnquā pertulit? Nec in omnibus illis quicquā ſtultè loquutus eſt contra Deum. Nónne quotquot ab ipſo mundi exordio, Deo maximè dilecti fuerunt, & illius præcipui cultores, atque arcanorum myſteriorū imprimis conſcii, Principes nempè, Duces populi, Prophetæ, & Apoſtoli, vehemētes pertulere moleſtias? Confirmat id Abrahami durum à ſolo patrio exilium: anxius quoq; Iſaaci animus, cùm à patre mactādus ad arā duceretur: & Iacobus, cùm Eſau fratris ſui atrox, aſperúmque ſuſtinuit odium. Neque Ioſephus angoris expers fuit, cùm per fratres ſuos Iſmaëlitis venderetur, & pòſt quoque, cùm in carcerem coniiceretur. Quot, quæſo, iniurias pertulere, tum per Pharaonem Regem, tum per populum inſolenter murmurantem, fideles Dei miniſtri Moyſes & Aaron? Elias Propheta, cum quo Deus

Abſque murmure & queſtu aduerſa ferenda.
1. *Reg.* 23.
2. *Reg.* 16.
Pſal. 38.
Iob. 16. 42.
Gen. 12.
Gen. 22. 29.
Gen. 37. 39.
Exod. 8. 9. 10. 14. 32.
Num. 12.

ſua conſilia communicauit, in perſecutionē
3.Reg.17. Achabi, neque locum vbi tutò latitaret, neque panem quo aleretur, inuenire potuit. Et vt Elizeum, Iehu, Eſaiam, Ieremiam, & reliquos Prophetas omittamus: ipſe humanæ ſalutis auctor Chriſtus, horrendas blaſphemias, opprobria immerita, famem, ſitim,
1.Pet.2. tormenta quamplurima, ignominioſam denique mortem perpeſſus, ſuos diſcipulos, ſimilia leniter, & æquo animo ferre docuit. Harum omnium afflictionum, quibus iuſti ac pij ab orbe condito cruciati ſunt, D. Paulus ad Hebræos ſcribens meminit: Alij ludibria (inquit) & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti
ad Heb.11. ſunt, tentati ſunt, occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egētes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errātes, in mōtibus, ſpeluncis, ac cauernis terræ: & hi omnes teſtimonio fidei probati.

Afflictiones à Dei prouidentia, non à fortuna proueniunt. CAP. III.

Eccleſ.11. 1.Reg.2. QVæ quidem mala omnia, non aliundè quàm ipſius Dei prouidentia, eueniſſe perſuaſum habuerūt, cùm diuini verbi teſtimonio, bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſint: Dominus quippè mortificat & viuificat, deducit ad inferos &

reducit: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat. Et patientiæ typus Iobus, Domino non ceſſauit benedicere, cùm bonis ſuis omnibus expoliaretur, quæ & Dominum ſibi dediſſe, necnon pro ſua abſtuliſſe poteſtate ac iure confeſſus eſt. Eſtne malum in ciuitate (quærit Amos Propheta) quod non fecerit Dominus? Et quanquam caſu quodam accidere viſum eſt, vt Tobias, vir in omnibus Deo placens, oculorum acie priuaretur: nihilominus Angeli Raphaëlis teſtimonio, Deus ipſum ex induſtria, & cæcum, & pauperem fecit, vt illius conſtantis in Deum fiduciæ in aduerſis exemplum, & memoriam poſteris relinqueret. Deo nanque tanta eſt de nobis cura, vt ne capillus quidem de capite noſtro, ſine illius conſilio ac voluntate pereat. Quod euidentiſſimè liquet, cùm ne Satanas quidem, qui nunquam deſinit iuſtis inſidias ſtruere, ipſi Iobo quouis modo nocere potuerit, niſi prius à Deo impetrata facultate. Quare haud dubiè ſtulta eſt quorundam Ethnicorum, & pſeudo chriſtianorum opinio, aſſerentium quicquã à caſu, aut fortuna pendere: cùm qui inter eos ſapientia cæteris præſtabant, longè aliter ſenſerint, omnia ſummi Dei iudicio tribuentes. Sic enim Heſiodus:

Iob 1. *Amos.3.* *Tob.3.& 12.* *Luc.21.* *Iob.1.& 2.* *Heſiodus.*

Pierides Muſæ, quarum vigét inclyta cantu
Fama ducum, & veſtri nomen immortale parentis,
Dicite, cur hominum pars hæc ſine nomine vitam

Ducat, & illius cur fama alterna per altum
Euolet? hac Iouis eſt magni diuina voluntas.
Ille etenim altitonans, celſi regnator Olympi,
Excitat imbelles animos, & fortia corda
Debilitat, duce quo fortuna inimica ſuperbos
Deprimit, atque humiles clarum ſuper æthera tollit.

Senec. Oedip. Et Seneca ille, iudicio rationéque cenſoria grauis auctor, his ſubſcribit:

Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto.

Iuuenalis Saty. 10. Quare hac faceta elegantíque ironia eos taxat poëta Satyricus, qui fortunam vt Deam coluerint:

-Sed te
Nos facimus, fortuna, Deam, cœlóque locamus.

Ouid. ep. 1. Et alter ſic fatuis imprecatur:

-Careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Proindè benigniùs illa interpretemur, quę Genethliacorum errore fortaſſè, ac Poëtarũ commẽtis, in multorum hominum opinionem irrepſerunt: ita vt non malignitati ſyderum, non neceſſitati, non fortunæ, noſtra incommoda, ſed Dei potiùs beneficio ac beneuolentiæ propè ſingulari attribuenda eſſe ſentiamus: qui quos amat, iis non vſquequaque ſecundos rerum ſucceſſus indulget, ſed ne rebus ad voluntatem fluentibus, in obliuionem veniant ſui, multas difficultates, & aduerſos fortunę impetus, in eorum vita redũdare patitur, vt eos in rationis, & doctri-

Nihil malignitati ſyderum aut fortunæ tribuendum.

æ gyrum adducat,& perſpecta rerum hu-
ıanarum imbecillitate,ad virtutem,& ma-
ɔrum patientiam exerceat.Quando itaque
li viſum eſt, noſtram eo modo erudire fra-
ilitatem,non modò æquo animo ac libēti,
llius voluntati ſubmittere nos oportet: ve-
ımetiã (prout debemus) gratias agere, ha-
eréque immortales . Hinc facili negotio
uiuis perſpicere poteſt, non ſolùm verbi
Dei teſtimonio , verumetiam Ethnicorum
ententia,omnia quæ in cœlis,& quæ in ter-
s aguntur,ſolius Dei ordinata diſpoſitione
eri : ſine cuius nutu neque folium arbori
ecidit,neque capillus de capite peribit.

Deus ſuos vti filios corripit, & tentationibus probat: improbi verò, etſi proſperè videantur nonnunquã viuere, miſerè tamen plerunque pereũt.

CAP. IIII.

ITaque cùm iuſtiſſimo Dei patris iudicio
plectimur,æquum eſt certè,vt & nos tan-
quam filij obſequentes, illius verbera pla-
idè perferamus : maximè cùm non ideò vt
enitus interimat, verùm tãquam noſtri ſe-
ulam gerens curam, & vti filios chariſſi-
ıos, in officio erga ſe & homines cõtineat,
ı nos moderatè animaduertat. Quē enim *Prouerb.3.*
iligit Dominus , corripit, & quaſi pater in *Apoc.3.*
lio complacet ſibi. Quis enim filius,quem *Heb.12.*
on corripit pater? Certè Sapiētis teſtimo-

nio, qui parcit virgæ, odit filium: qui autem diligit, inſtanter erudit. Quos amo (ait Dominus) arguo & caſtigo.

Improborũ proſperitas illis eſt periculoſa. E diuerſo, ſi quando permiſerit Deus aliquos (maximè autem peccatores) longo, & molli otio, leni quiete, & faſtuoſo luxu vitã traducere, blandíſque mundi voluptatibus frui, nec vllis vnquam vexari moleſtiis, tum quidem maximè cauẽdum eſt, ne Dominus tales funditùs diſſipet atque euellat. Qui tametſi, vt longanimis pius pater, & miſericors, illorum ſeram expectat pœnitentiam: *Ro. 2.* tamen eorundem obſtinatum cernens animum, tarditatem ſupplicij, pœnæ tandẽ grauitate compenſabit. Et interim, quamuis hi videantur pacem, & externam habere quietem, non eſt tamen impiis pax (dicit Dominus) cùm illorum conſcientia agitetur, tanquam mare feruẽs, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationẽm, & lutum. Domus enim impiorum delebitur (teſtatur Sapiens) & extrema gaudij luctus occupabit, & riſus dolore miſcebitur. Nam etſi impij tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi, & ducunt in bonis dies ſuos, in puncto tamen ad inferna deſcendunt. Qua de re quidam non ineptè:

Iſai. 57. *Prouerb. 14.* *Iob. 21.*

O quàm ſubitò fortuna atrox
Exitio ſubmergit, & illum
Propè tangentem ſydera faſtum

Obruit,

obruit, & atra more procellæ,
Luctu gaudia vertit acerbo.

Neque erat alienum à noſtro inſtituto, hîc aſcribere optimę ac ſapientiſſimę cuiuſdam Reginę dictum memorabile, quod me aliquando inter legẽdum annotaſſe memini. Aiebat enim illa, ſe quidem temperatam & mediam quandam fortunam malle, quã vel aſperrimam, vel leniſſimã: alterutra tamen optanda ſi eſſet, acerbiſſimam ſibi quã blandiſſimam potiorem fore: infœlicibus non deeſſe conſolationem, fortunatiſſimis deeſſe mentem aſſerens. Fuit hoc dictum verè pudici pectoris, & ſapientis: & quantò rarius in Principe fœmina, quę omnem fortunę aleã fuiſſet experta, eò præſtãtius, laudabilius, atque pulchrius. An non terra Iſraël ſub Gedeone quadraginta annis in pace, & otio ſummo quieuit? Attamẽ propter illius impietatem ſeptuaginta eius filij per Abimelech, illorum ex concubina fratrem, occiduntur: & hic tandem miſerè interiit, ac ne vnus quidem de Gedeonis ſemine relictus eſt. Quid de Saule, qui poſteaquam à Deo reiectus eſt, magno in honore, & rerũ affluentia vixit: verùm letho præcipiti, manibus ſuis vitam ſibi abſtulit, & illius domus funditùs ſubuerſa eſt? Quis Solomone ſapientior? quis ditior? quis vnquam longiore vixit otio, & quiete, omni deliciarum copia luxurians? Nihilominus ob ſuam im-

Apophthegma Catharinæ, quondam Reginæ Angliæ.

Iud. 8. 9.

1. Reg. 12.

3.Reg.12. puram & ſceleratam vitam, decem tribus à filio eius Roboamo, iuſto Dei iudicio abſciſſæ ſunt: & Ieroboamus, Solomonis ſeruus, Rex decem illis inauguratus eſt. Qui itidem etſi tranquillè & pacificè plures vixit an-
3.Re.15 16. nos, illius tamen ſemen, Dei mandato, ſuam ob impietatem per Baſan deletum eſt, qui paulò itidem pòſt, cum tota familia periit: quemadmodum & alij Reges ac Duces im-
Exod. 14. pij, Iſraëli dominantes, ac potentiſſimi ali-
15.16. quot gentium Monarchę, vt Pharao, Nabu-
Daniel. 4. chodonoſor, Senacherib, Holofernes, &
4. Reg. 19. 2.Paral.32. alij quamplurimi, in quibus recenſendis tẽ-
Iudith. 13. pus iam terere non expedit. Ex ſacrę etenim lectione hiſtorię ſatis conſtare poterit, impios omnes, etſi videãtur ad tempus florere, in triſte tamen tandem ac repentinum ſępius exitium pręcipitari. De quo hominum ge-
Pſal.36. nere Dauid verè illud cecinit: Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: trãſiui, & ecce nõ erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Item, Sicut
Pſal.67. deficit fumus, deficient: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie Dei. Et rurſum opponens illis fœliciſſimam ſor-
Pſal.1. tem iuſtorum, ait: Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, quam proiicit ventus à facie terrę. Quare idem ille vates conſulit piis ac bonis, ne malorũ proſperitas ipſos quouis modo vrat: certò pollicitans, cuncta fœliciter ceſſura iis, qui Deum amant, ac timẽt.

Qui quidem etſi aduerſa ferre, variíſque interea ęrumnis à Domino torqueri videantur: eos tamen clemens pater oneri ſuccumbere non patietur. Cùm enim ceciderint (inquit ille) non collidentur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Et, iunior fui (canit Dauid) etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quęrens panem. In promptu ratio eſt: Quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permãſit in mandatis eius, & derelictus eſt? Aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. *Pſal.36.* *Eccle.2.*

Suos namque vult Dominus duris tentari anguſtiis, vt illorum firma & conſtans in Deum fiducia teſtatior fiat, & ipſi maiori pręmio, ac corona poſt pericula tentationũ digni inueniantur. Non ſecus autem illos probat, quàm aurum, argentúmve igni examinatum, & purgatum ſeptuplum. Etenim Deus tentare ſolet electos in camino laborum & moleſtiarum, ac tùm demum illos ſe dignos inuenit. Vitam enim nil aliud eſſe, quàm militiam ſuper terram, & laborem perpetuum, teſtatur patientiæ typus Iobus: & homines athletis comparat, militibúſque in acie continuò dimicantibus, contra humani generis callidiſſimos hoſtes, Sathanæ inſultus, mundi illecebras, & corporis vo- *Pſal 11 65.* *Iob.7.*

luptates.

Veruntamen non patietur ſtrenuus ille dux noſter hiſce tentationibus ſuos cedere,
1.Cor.10. aut ab illis ſuperari, neque ſupra id tentari quod ferre poſſunt: ſed fidelis eſt, & faciet cum tentatione prouentum, ita vt ſuſtineāt, & victores euadant. Et quanquam illæ humanas ſuperant vires, eaſdem tamen Deo nobis auxilium præbente (nam omnia poſ-
Philip.4. ſum in eo qui me confortat, ait Paulus) alacri, & forti animo facilè vincemus, ac tandē præſenti periculo liberabimur, modò ſpiritualibus armis induti ſtrenuè pugnemus.

Armis ſpiritualibus, & iuſtis adminiculis, Sathanæ tela, & omnem iniuriam, virorum fortium exemplo, propellere licet. CAP. V.

SOla etenim Dei armatura, hoſtes inuiſibiles profligari, idem docet Apoſtolus, conſcientię ſcilicet integritate, pia & ſācta vita, Euangelij cognitione, fide, Dei verbo, aſſiduis denique precibus, & diuini no-
Epheſ.6. minis inuocatione. Quòd ſi præcincti acriter certauerimus, dubio procul ampliſſima tùm prēmia conſequemur. Neque enim ſua laude doloris tolerantia caret. Qui vicerit
Apoc 3. (inquit inclitus dux noſter Chriſtus) dabo ei ſedere in throno meo, ſicut & ego ſedi cū patre meo in throno eius. Quis, quæſo, triū-

phus inſignior? quæ trophæa clariora? quis denique honos celebrior victoribus parari poterit? Quorum altiore meditatione motus, ac in tertium raptus cælum, intrepidus ille Chriſti miles D. Paulus, vbi paululum hanc gloriam delibauit, eius magnitudinẽ exprimere non valens, in hanc prorupit vocem: Oculus nó vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus diligentibus ſe præparauit. Huius remunerationis tanta eſt dignitas & excellentia, vt idem exiſtimet non eſſe dignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur, nec momentaneos iſtos cruciatus, quantumuis graues, vllum habere pondus, ſi cum futuro pręmio conferantur. Nos igitur militantes ſub inuictiſſimo imperatore Chriſto, validíſque protecti armis, fortiſſimis quoque telis cincti, erigere debemus animos, vt cum hoſte, duce noſtro ſpectante, dimicaturi, mente alacri, ac victoriæ ſpe erecti, in arenam deſcendamus, non vt hoſti vulnera infligamus, verùm potius vt illius atroces impetus propellere, atque clandeſtinas inſidias amoliri queamus. Noſtra enim colluctatio eſt aduerſus principes tenebrarum, qui non aperto marte nos, ſed cuniculis oppugnant, & damnoſæ voluptatis ſpecie ac fuco, nos decipere, & in ſuos laqueos pertrahere nituntur.

Eorum qui tentationes deuicerunt, premia.

1. Cor. 2.

Eſai. 64.

Rom. 8.

Epheſ. 6.

His namque retibus, innocentum vena-

1. Pet. 5. tor ille Satanas, vt leo rugiens circuit, quæ-
Sathanæ inſidiæ atque tela. rens quem deuoret, & à vera in Deum fi-
ducia diſtrahat, atque ad ambitioſos hono-
res, fallacéſque diuitias, ad blandas corpo-
ris voluptates, ad deſidioſum luxum, ad lu-
xuriantem gulam, ſuperfluum cultum, &
mundi id genus illecebras, à malorum om-
nium radice auaritia pullulantes, alliciat. Si
verò latentibus his technis veterator ille
& verſipellis neminem poteſt ad flagitium
& ſcelus impellere, tūc acerrimos ſuos mi-
lites in arenam euocat, qui variis nos pre-
mant miſeriis, & in plurima coniiciant di-
ſcrimina, adeò vt nonnunquam pij in illam
deducantur difficultatem, vt de gratia Dei
hæſitent, quaſi videantur non ſatis certi, an
à Domino deſerantur. Ita Dauid grauiſſi-
Pſal. 12. 21. 58. mis agitatus procellis, lugubrem perſæpè
querimoniam edit, vt & ante illum patiens
Iob. 7. 10. 13 30. Iobus. Neuter tamen à firma in Deum fidu-
cia, corde ſuo auerſus eſt.

Sæpiſſimè tamen pius ille Rex Dauid, ex-
terna quæſiuit humano more remedia, qui-
bus perſequētium inſidias, ſæuámque poſ-
ſit declinare tyrānidem. Eo conſilio fœdus
cum Ionatha Saulis filio percuſſit, quo pa-
1. Reg. 20. 21 22. 27. & 29. tris iram demulceret. Ac cùm ne ſic quidem
Saulem placare potuerit, ad exteros, licet
patriæ hoſtes, ſeſe contulit: vbi tandem ex
1. Paral 2. his, qui erant in anguſtiis cōſtituti, & ama-
ro animo, tumultuarium comparauit exer-

citum, quo ſe à ſubita inſectantium vi, hoſtiúmque irruptione defenderet. Cúmque idem filij ſui rebellione regno pelleretur, pactus eſt cum Chuſai Arachita, vt in Abſalonis aula ſeſe contineret, illíque eſſet à cõſiliis, & Achitophelis conſultoris peſſimi conſilia diſſiparet, intereáque Dauidem de ſingulis certum redderet: quod probè atq; prudẽter Chuſai præſtitit. Machabæi quoque Iſraëlitę amicitię fœdera cum Romanis & Spartiatis, contra Antiochi, & aliorum tyrannidem, ob ſui tutelam confirmarunt. Denique ipſe Chriſtus Phariſæorum technas frequenter illuſit: vt illius quoque electus Apoſtolus Paulus, vidẽs ſe Iudæorum perſequentium furorem aliter non potuiſſe euadere, & eorum turbam ex duabus ſectis, Phariſæorum nempè, & Sadducęorum, cõflatam animaduertens, diuidẽdę multitudinis cõſilium iniit, quò tutius euaderet: Phariſęum ſe eſſe, atque de reſurrectione mortuorum accuſari clamitãs. Quaſi liceat impios inter ſe interdum cõmittere, vt à piorũ oppugnatione deſiſtãt: & quod nihil prohibeat iuſtis adminiculis iniurias propellere, modò non cupiditate vindictæ id fiat. Domino quippè remittenda eſt vltio, qui dixit: Da mihi vindictam, & ego retribuam. Ne dicas (ait Solomon) Reddã malum pro malo: expecta Dominũ, & liberabit te. Nec huius diuini conſilij immemor archetypus

2. Reg. 15.

1. Mach. 12. & 14.

Ioſeph. Antiq. cap. 17.

Act. 23.

Rom. 12. Heb. 10.

Prouer. 20.

1. Reg. 24. 26.

noſter Dauid, qui noluit vnquam manum
ſuam in Saulem extẽdere, quanquam eum
2. Reg. 16. 18. crebrò Deus in Dauidis manus concluſerat. Sollicitè quoque præcepit ducibus ac militibus ſuis, vti Abſalonem filium in ipſo conflictu ſeruarent incolumem. Neque
2. Reg. 16. iniuriam Semei vlciſci voluit, ſed omnia diuino committẽs arbitrio, aſſiduis precibus Deum inuocabat, vt cauſę ſuę defenſionem, ac patrocinium ſuſciperet, de ſua erga hoſtes integritate teſtatus, nolle retribuentibus ſibi mala reddere: ſpe ductus, eò Domi-
Pſal. 7. num citiùs ad ærumnas ſuas reſpecturum, erepturúmque periculo.

Vt magna ſæpè commoda ex malis proueniunt, ita vice verſa, proſpera ſæpè nocent, & virtuti obicem ponunt: ideò ob pietatem ſpernenda.

CAP. VI.

TAnta eſt equidem Deo humilium pauperum, & afflictorum cura, vt nũquam ſinat eos perire, ſed ſua benignitate & clementia efficiat, vt ex incommodis & malis perſæpè non mediocres illis vtilitates enaſcantur. Quod & Ioſephus ille, patria exul,
Gen. 41. ac vinctus in carcere, expertus eſt, qui longè maiori dignitate, atque honore affectus eſt, quàm ſi apud patrem & fratres in natali ſolo moram aſſiduè traxiſſet: cúm vinculis
Exod. 1. ac carceris ſqualore ſolutus, ſecundus poſt

Pharaonem in Ægypto ſalutaretur. Quanto itidem Ægyptij grauius opprimebant filios Iſraël, tantò maiore quotidie numero creſcebant. Patientiſſimi quoque Iobus & Tobias, duplò maiorem rerum omnium abundantiam poſt ſuas accepere miſerias. Et Propheta Daniel, de lacu leonũ liberatus, magno apud Dariũ, Cyrũque, Perſarũ Reges, in honore eſt habitus: quin & eidem longè plura quàm antea reuelata ſunt myſteria: vti & Ioanni illi dilecto Chriſti diſcipulo, cùm in Pathmon inſulam deportatus eſſet, vbi myſticam cõſcripſit Apocalypſin. Paulus quoque poſt vincula, verbera, variáque tormẽta, dignus tanta exiſtimatus eſt gloria, vt populus ei Lyſtris ſacrificare voluerit. Quo factum videmus, vt per Prophetam ſuum Dominus malorum ſubleuationem polliceatur afflictis, dicens, Conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor, & lætificabo eos à dolore ſuo. Itẽ & illud: Hoc autem pro certo habere debet omnis qui Deum colit, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur: ſi autem in tribulatione, liberabitur: & poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lachrymationem & fletum, exultationem infundit. Et, Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Læto itaque ac gaudenti animo ferre debemus moleſtias, & grauiſſimas etiam quaſque inſectationes: quippè quòd ex illis

Iob.42. *Tob.11.* *Daniel.6.7. 8.9.* *Apoc. 1.2.* *Act.14.* *Hierem.31.* *Tob.3.* *Pſal.125.*

innumeræ naſcantur vtilitates, atq; fructus.

Proſpera ſæpè nocent, & aduerſa proſunt. Sicuti ediuersò ex nimia rerum copia & proſperitate, infinita plerunq; proueniunt incómoda. In proſperis Dei quidē clemētiæ ac bonitatis ſæpè obliti, illius præcepta negligere, in aduerſis ipſius beneficia atq; leges ſedulò in memoriam reuocare, in proſperis itidem Deum contemnere, in aduerſis ipſum colere & inuocare ſolemus. Vt enim proſpera nos ad luxum, & omne incótinentiæ genus impellunt: ita aduerſa, vt ſobriè, piè, iuſtè, ac rectè viuamus, admonent, ac in noſtri primam cognitionem, deinde in Dei timorem ſæpiſſimè nos inducunt, adeò vt aduerſa homini prodeſſe magis, quàm res ſecundæ, rectè cenſeri videantur. Quòd ſi quis hæc diuinis teſtimoniis & exemplis confirmari deſideret, diligenter totam Dauidis noſtri vitæ ſeriem perpendat. Is nam-*1. Reg. 24. 1. Paral. 12.* que dum pauperie premeretur, Saulis inſectatione impetitus, anguſtiis vndique & periculis obſeſſus, nullum certum habens domicilium, vbi latitare poſſet, famem, frigus, & id genus miſerias atque calamitates patienter ſuſtinuit, cùm ſumma rerum omnium inopia laboraret: tùm certè immunis ab omni ſcelere viuebat, Deum amabat, timebat, & feruentibus noctes & dies precibus quaſi fatigabat. Verùm poſtea quàm regiam adeptus eſt dignitatem, in pa-*2. Reg 24.* ce ac otio viuens, in quæ vitia delapſus fue-

rit,ſacra teſtatur hiſtoria. Nec diſſimili modo Ieroboamus,Iſraëlitarum Rex, quandiu priuati hominis vitã egit, & exiit patria, in Ægypto latuit, Deo, iuxta Prophetæ teſtimonium,charus & acceptus,abſque reprehenſione leuiter æuum traduxit: at in Regẽ ſuper decem tribus vnctus, in grauiſſima ſcelera proruit.An non Manaſſes,Rex Iudę, dum in rerum affluentia, pacéque liberrimè, diutiſſiméque viueret, Dei præcepta negligebat,plurima, & horrenda commiſit ſcelera?Neque vlla ratione, cùm Dominus ad eum,& populum loqueretur,audire voluit. Cæterùm ductus in Babylonem captiuus, catenis atque compedibus vinctus, in anguſtiis cœpit tandem ſua delicta agnoſcere, & anteactæ vitæ pœnitentiam agere, & plurimis lachrymis poſtulare veniam à Domino,qui exauditis eius precibus,reducto in Hieruſalẽ regnum ei reſtituit, vbi in pace cum patribus obdormiuit.

1. Paral. 21. *3. Reg. 11. 12. 13.* *4. Reg. 21.* *2. Paral. 33.*

Ex his perſpicuum eſt, nihil periculoſius eſſe homini benè & rectè viuere cupienti, quàm res omnes habere ad voluntatem affluentes. Id namque obicem præbuit diuiti adoleſcenti,ne Chriſtum ſequeretur: habebat enim multas poſſeſſiones, vt eſt apud Matthæum. Quod ſapienter perpendens Solomon,mediam inter diuitias & paupertatem expetens viam,his verbis Deum precabatur: Mendicitatem & diuitias ne dede-

Diuitiæ,honores, & rerum opulentia, obicẽ ponunt rectè viuere cupienti. *Matth. 19.* *Prouerb. 30*

ris mihi, ô Domine: ſed tribue tantùm victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus inſoleſcam, & abnegem Deum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomẽ Dei mei. Meritò itaque D. Iacobus eos, qui lucro & opibus nimiùm

Iacob 5. inhiant, grauiter arguit. Agite (inquit) nunc diuites, plorate vlulãtes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis: theſauriſaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus. Certè quòd inſatiabilis ſit oculus cupidi, docet illud Satyrici,

Iuuenal. *Creſcit amor nummi, quantũ ipſa pecunia creſcit:*

Et alius,

Horat. *Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops.*
Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Maiorúmque ſitis.

Minus ſanè quàm luſcinia dormit auarus, vt aurum expugnet, ducátque captiuũ. Porrò quàm ſæpè videmus eos, qui parcè, ac propemodum ſordidè viuunt, vt aceruũ pecuniarum apud ſe recondant, iis neque ſuo tẽpore vti, neque efficere poſſe, vt ſuorum liberorum vſibus aliquando inſeruiãt? Hi certè illam laborum mercedem accipiũt, vt bona ſua omnia, longa parſimonia & ſudore parta, aut hoſtes, aut extranei poſteà diſſipent & conſumant. Theſaurizant (ait

Pſal. 38. Dauid) & ignorant cui congregabunt ea: ſanè, vt habet Flaccus Horatius,

Abſumet hæres Cæcuba dignior

Seruata centum clauibus, & mero *Horat. od. 14. lib. 2.*
Tinget pauimentum ſuperbo,
Pontificum potiore Cœnis.

Recte itaque ſuadet Apoſtolus, vt habentes victum, & quibus tegamur, his contenti ſimus. *1. Timoth. 6* Nam qui volunt diuites fieri, vt habet idem, incidunt in tentationes, & laqueū Diaboli, & deſideria multa, & inutilia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas: quam quidem appetentes, implicarūt ſe doloribus multis. Idcircò Chriſtus ſuis præcepit diſcipulis, ne aurum, argentum, pecuniámve in zonis portarent, certò ſciens, hæc præbitura fuiſſe impedimentum, quominus rectè iniunctum ſibi munus exequerentur, ſi mundi voluptatibus, diuitiis ac luxu fruerentur. Quod obſeruarunt etiam plerique ſapientes Philoſophi, & imprimis diuinus ille Plato, qui animo lubentiſſimo *Diog. Laër Philo.* regia exulabat aula, quò liberius Philoſophiæ ſtudiis & virtuti vacare poſſet: qua de re piè quidem Lucanus,

- Exeat aula, *Lucanus*
Qui volet eſſe pius: Virtus & ſumma poteſtas *lib. 10.*
Non coëunt.

Non minore gaudio Anaxagoras & Bias Philoſophi, rerum ac fortunarum iacturam paſſi ſunt, quò liberius reliquum vitæ curſum, in ſtudiis & otio literario trāſigerent. Num ergo decet nos, qui Chriſtiani dici-

mur, ac Chriſtum noſtrum Ducem & magiſtrum imitari profitemur, rebus hiſce caducis inhærere, quæ nos à veræ pietatis officiis auocant? Nihilminus. Quin igitur cũ Apoſtolo Paulo hæc omnia nihili facimus,
Philip 3. vt Chriſtum lucrifacere poſſimus? Quod etiam recenti memoria piiſſimus Princeps Carolus v. Imperator præſtitit inſigni, ac raro poſteritati relicto pietatis exemplo. Hic ſponte ſua ſe omni ſuarum ditionum ampliſſimarum adminiſtratione, honore, atque imperio abdicauit, & mundo vale dicens, in quandam ſolitudinem ſeceſſit: Deo vacans, & diuinis incumbens cogitationibus, magna vitæ continentia, magna à voluptatibus temperantia, magna à vino cibóque abſtinentia in eo relucente. Neque ideò infœlicem ſeipſum exiſtimauit, quòd ab auguſto imperio ad tantam vitæ priuatæ tenuitatem deſcẽderit: verùm optimè ſciebat, Deo ſeruire, regnare eſſe: nec quicquam magis glorioſum, quàm omnem mũdi gloriam, tanquam rem caducam, & vanam, generoſo & excelſo animo, Chriſti amore cõtemnere. Omnes enim, qui Chriſtum verè
Math.16. ſequuntur, carnem ſuam cum vitiis & cõ-
Marc.8. cupiſcentiis crucifigere, & crucem ſuam tol-
Luc.9. lere, atque aduerſa omnia lubenter perpeti
Math 7. debent, vt in regnum illud cęleſte, per arctã
Luc.13. viam, & anguſtam portã, quę ad vitam du-
Act.14. cit, tandem perueniant: Per multas enim tri-

bulationes (ait ille) nos oportet intrare regnum cęlorum.

Deus afflictis ſe præſentem exhibet, ipſoſque ſolatur. CAP. VII.

VErùm hoc magno nos quoque afficere debet ſolatio, ac noſtrum lenire dolorem, quòd quādocunque malis propter iuſtitiam quatimur, certum eſt, Deum pręſto nobis eſſe: vti per Prophetam ſuum, ei qui ſpem omnem in ipſum collocat, pollicetur, dicens: Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meū. *Pſal.90.* Indè Dauid, nullum certius diuinę beneuolentię indicium eſſe ratus, tentari deſiderat, ne otio deſidens nimium efferatur, atque adeò vt iugi illa exercitatione perfectus euadat, cum ait: Proba me, Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum. *Pſal.25.* Et Dei caſtigatione eruditior effectus, gaudens cecinit: Bonum mihi, quia afflixiſti me, vt diſcā iuſtificationes tuas. *Pſal.118.* Et, Benedico te, Deus (ait Tobias) quia tu caſtigaſti me, & tu ſeruaſti me. *Tob.11.* Et Propheta Ieremias, Deo ipſi acceptiſſimus, ita de ſe profitetur: Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum: cōfuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentię meę. *Hierem.31.* Poſtquam enim conuertiſti me, egi pęnitentiam, & poſtquam oſtē-

diſti mihi, percuſſi femur meum, quia tu Dominus Deus meus.

Ex ærumnis lætitia & gloria, Pauli exẽplo.

Quocirca vas electionis, Paulus, cùm aduerſarij,illius ęrumnas, vt eius authoritatẽ eleuarent, exprobraſſent,noluit aliundè argumentum ſumere, vt illorum refelleret impudentiam,quàm quòd ſuis gloriaretur diuexationibus,quibus etiam potentiorem ſe factum eſſe, ac magis ſtrenuum teſtatur. Atque vt ipſum audiamus loquẽtem, illius verba variis è locis placet in medium adferre. Lubenter (ait) gloriabor in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſequutionibus,in anguſtiis. Cùm enim infirmor,tunc potens ſum. Rationem enim ſubiungit,inquiens, Vt inhabitet in me virtus Chriſti: nam virtus in infirmitate perficitur:&, quod ait Poëta,

2.Cor.2.

-Vireſcit vulnere virtus.

Iacob 1. Omne igitur gaudium exiſtimare debemus,cùm in tẽtationes varias inciderimus, *Rom.5.* ſcientes quòd tribulatio patientiam operetur, patientia verò probationem, & opus perfectum habeat, vt ſimus & nos perfecti, in nullo deficientes. Quocirca hiſce verbi diuini teſtimoniis atque exemplis edocti, perſuaſum habere debemus, nos per miſerias, & aduerſas fortunæ tempeſtates, à vitiis auocari,Dei præſentia frui: præmia nobis,fructus, & cõmoda quàm maxima proponi:& tales effici, vt verè filij Dei nominemur,

mur, & ſimus proinde forti & conſtanti animo, aduerſa moderatè ferre, omne tædiū deuorare, ac omnem deponere nos decet moleſtiam: ita vt interim pia atque diuina quærentes remedia, malis liberari poſſimus, & in ſumma pacis ac otij tranquillitate viuere.

Afflicti animi remedia. Agnitione peccati purgandus eſt animus, Anteactæ vitæ mores reformandi. CAP. VIII.

COgnita itaque, atque perſpecta noſtrarum afflictationum origine, cauſis itidem & indiciis accuratè perpenſis, rectè locus hic efflagitat, vt efficacia componamus antidota, quibus graues tùm corporis, tùm animi moleſtiæ, angores, morbi, eorúmque cauſæ, ac initia radicitus euelli, atque extirpari poſſint.

Quamobrem danda quidem nobis imprimis opera eſt, vt à vitiis purgetur animus: quod non alio fit medicamento, quàm ſi vitam noſtram & actiones omnes quaſcumque ad calculum reuocemus, lubenter peccata noſtra agnoſcamus, ea deniquè auerſantes, ingenue confiteamur. Etenim & iis qui peccata ſua agnoſcunt, fidelis Deus noſter ſe miſericordem ac pium fore, per Prophetas & Apoſtolos ſuos pollicetur. Idcirco Dauid noſter, quoties aduerſis vrge- *Purgandus eſt animus agnitione peccati.* *Pſal. 51.*

batur, ſuorum morborum curationem ita exorſus eſt: Dixi confitebor aduerſum me
Pſal.50. iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam nō abſcondi. Et rurſus: Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies. Malorum ſuorum cauſam in apricum profert, dum ita cōfitetur: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum cōtra me eſt ſemper. Sed longè efficaciori ardentioríque zelo edita fuit illa Dauidis confeſſio, cum per Gadum Videntem, ob recenſitum populum, à Domino corriperetur, & in peccati vindictam ſeptuaginta virorū millia peſte
2. Reg. 24. conſumerētur. Tum enim conſpicatus Da-
Para. uid Angelum deſtricto gladio, ciuitati etiam Ieruſalem, ac domui ſuæ interitum minari, dolénſque vehementiſſimè ſua cauſa populum perire, proſtratus humi clamauit: Domine, ego ſum qui peccaui: iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & domum patris mei, populus autem tuus non percutiatur. Maluit enim pius ille Rex incidere in manus Dei, quia multæ ſunt eius miſerationes, quàm in manus hominum. Qua Dauidis pœnitentia propitius factus eſt Dominus terræ, & ceſſauit plaga Iſraëlis. Nec erubuit
1. Timot. 1. Paulus ſepiſſimè profiteri, ſe fuiſſe blaſphemum, cōtumelioſum, ac furioſiſſimè Chri-

ſtum & ipſius eccleſiam fuiſſe inſectatum: quem tamen elegit Dominus, miſítque, vt portaret nomen ſuum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël. Hic palàm & publicè docuit, hunc eſſe fidum ſermonem, & omnibus modis dignum quem amplectamur, Chriſtum Ieſum veniſſe in mundum, vt peccatores ſaluos faceret. Plus enim gaudij eſt in cælis ſuper vno peccatore pœnitẽtiam agẽte, quàm ſuper nonaginta nouem, qui non indigent pœnitẽtia. Promittit namque Dominus per Prophetam ſuũ quotieſcunque ingemuerit peccator, & animo cõuerſus fuerit ad pietatem & iuſtitiam, omnẽ eius impietatem ſempiterna obliuione deletum iri. *Luce 15.* *Ezech. 18.*

Cuius rei memor Rex Manaſſes, dura ſeruitute, & carceris ſqualore preſſus, apud Babylonem captiuus, Orationem ſuã his verbis auſpicatur: Peccaui ſuper numerum arenæ maris, & multiplicatę ſunt iniquitates meæ: curuatus ſum in multo vinculo ferri, & non eſt reſpiratio mihi, quia excitaui iracundiam tuam: Malum coram te feci, ſtatuens abominationes, & multiplicans offenſiones, & nunc flecto genua cordis mei, petens à te bonitatem, Domine: Peccaui, Domine, Peccaui, & iniquitatem meam agnoſco: Peto rogans te, Domine, remitte mihi. Et cùm Azarias, eiúſque ſocij, in medio flammæ ignis exiſterent, orationẽ ſuam, *2. Par 33.* *In oratione Manaſſes.* *Par. 76.* *Daniel 3.*

fidei & humilitatis plenam, à peccatorum agnitione exorſi ſũt: vt & ſanctiſſimus Pro-
Hier.3. pheta Ieremias pro ſe & populo Deum deprecatur. Quin & prodigi filij exemplo,
Luc.15. Chriſtus idem faciendum docet: qui poſtea quàm decoxiſſet,& facultates deuoraſſet omnes,ad ſe reuerſus, corde contrito & pœnitenti, in genua procidens, ita ſuum alloquitur patrem: Pater, peccaui in cœlum & corã te: Iam non ſum dignus vocari filius tuus. Et hi omnes ob ſuam pœnitentiam, tùm peccatorum onere, quo premebantur, tùm grauibus eruti ſunt periculis.

Cæterùm non eſt ſatis de anteacta vita contriſtari, niſi nobiſcum certò ſtatuamus, piè nos ſobriè & iuſtè in poſterum tempus eſſe victuros,ac noſmetipſos, familiam, domum quoque noſtram,& omnia quæ poteſtatis ac imperij ſunt noſtri, iuxta diuini verbi normam,Dei ope reformatum iri, eóque conſilio, pia ac religioſa cum Domino fœ-
2.Reg.20. dera ſancire debemus. Ita Dauid, pij,ſanctí-
2.Para.33. que principis officio ſe perfuncturũ, remp. religioſè ac prudenter adminiſtraturum, & relicta prauorum hominum conſuetudine, probos omni ſtudio, atque beneuolentia ſe complexurum, cæteris denique officij partibus non defuturum ſanctiſſimè Domino pollicitus: quod quidem in Regnum reſtitutus,ſtudioſè præſtitit, vt etiam Manaſſes, illius exemplum ſequutus, in Iudæam poſt

Babylonicam captiuitatem reuerſus, idem religioſè ſanctéque obſeruauit. Quare Regius ipſe vates, egregiè pij Principis munus atque officium pulcherrimo deſcribit hymno, Deo ob miſericordiam, & iuſtum illius iudicium, laudes decãtans, & gratias agens: Et viua patientiæ imago, Iobus, cùm acerbiſſimo premeretur mærore, & conuerſa eſſet in luctum eius cithara, & organũ in vocem flentium, recenſuit tamen ea fideliter, quæ geſſiſſet in vita, & innocentis hominis mores, quales eſſe debeant, egregiè depinxit. Vbi plenè videre licet, quid vnumquemque deceat, ſiue magiſtratus perſonã gerat, ſiue priuati hominis, ciuis, aut peregrini.

Iob. 30.

Iob. 30.

Ieiunio & abſtinentia tam à vitiis, quam cibis attenuanda ſunt corpora: Miſericordiæ opera exercenda. CAP. IX.

PEccatorum agnitione, vitæ ac morum integritate, animo in hũc modum purgato, ſobrij deinde, ſalutaríſque ieiunij, & abſtinentiæ exercitio, non tantum à ciborum immodico vſu, verumetiam ab omni luxu attenuanda ſunt corpora. Quem ſanè curationis ordinem Dauidem noſtrũ, cùm hoſtium noxiis tentaretur incurſionibus, obſeruaſſe ipſemet profitetur, inquiens: Ergo autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio: humiliabã in ieiunio animã meam.

Pſal. 34.

Ioel.2. Conuertimini ad me (ait per prophetã Dominus) in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Proinde Achabus, Rex Iſrael, audiens comminationem ſibi factam à Domino per Eliam Prophetã, poſt impiam Nabothi viri iuſti occiſionem, operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & demiſſo incedebat capite. Quare Dominus, remiſſa iracundia, ingentem quam Imperio comminatus fuerat, plagam temperauit. Filij quoque Iſrael audientes potentiam Holofernis (cui minime potuerũt reſiſtere) attenuarunt corpora ſua ieiuniis, & tandem dominus eos, virtute magnanimæ illius Iudith, intrepidi militis officium agentis, graui eripuit inimicorum metu, atque diſcrimine. Cumque Niniuitis prædiceret Ionas Propheta ruinam & interitum, Rex ipſe indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, præcepitque vt homines, & iumenta, & boues quique, & pecora non guſtarẽt quicquam, nec paſcerentur, & aquam non biberent. Reſpiciens ad hæc Deus, morumque mutatione placatus, miſertus eſt eorũ, & non modò culpam, ſed ſupplicium, quod eorum meritis debebatur, lubenter ex animo condonauit. Inſuper & Regina Eſter, trium dierum, & totidem noctium Iudæis omnibus pro liberatione populi ſui indixit ieiunium, quibuſcum ipſamet, & ancillæ ſuę ieiunarunt, & tandem voto potita eſt, ac

3. Reg. 21.

Iudith. 48.

Ione. 3.

Eſter 4.

populum graui edicto Aſſueri Regis à neçe imminente liberauit. Quàm purum ac ſanctum noſtrum debet eſſe ieiunium, Euangelicus deſcribit Propheta Eſaias, dicens: Solue colligationes impietatis, dimitte eos qui confracti ſunt, liberos. In die ieiunij, frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagóſque induc in domum tuam: Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris: Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adſum. Hoc eſt enim ieiunium, quod elegi, ait Dominus. *Eſai.58.*

Quibus verbis fidam adhibet ieiunio comitem, in pauperes nempé & afflictos charitatem, & eleemoſynam. Eſt enim bona oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: & Deus protector eſt eius, qui reddit gratiam, & in tempore caſus ſui inueniet firmamentum. Daniel igitur cùm prædixiſſet Nabuchodonoſori Regi eiiciendum ſe regno ſuo, & cum beſtiis fœnum commeſturum: docuit etiam qua via ac ratione in regnũ poſſet reſtitui. Hæc enim verba ſunt: Quamobrem, Rex, conſilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperũ: *Tob.4.* *Matth.5.* *Eccleſ.3.* *Daniel.4.*

forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Qua de re grauiter eos arguit Sapiẽs, qui pauperum
Prouerb. 21 non habent curam. Qui obturat aurẽ ſuam (ait) ad clamorem pauperis, ipſe clamabit,
1 *Ioan* 3. & non exaudietur. Qui enim habuerit ſub-
*Iacob.*2. ſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitate preſſum, & clauſerit viſcera ſua ab eo, verè inter Dei filios non debet recenſeri.

Aßidua diuini numinis inuocatio præſentißimum in malis remedium: vbi orationis vis & vtilitas explicatur. CAP. X.

PEractis iis quę ad animi corporiſq; puram attinent ablutionem, tùm nitido cultu interno, humilíque & demiſſa mente, cordis genua flectentes, ad clementiſſimi Patris noſtri thronum gratiæ, firma cõſtantíque fide, nos decet accedere: ſupplici voce, illius opem obnixè & conſtanter implorare, vt nos pręſentibus liberet periculis: ita tamen, vt diuinæ ipſius volũtati & arbitrio omnia committamus, cùm non ſit imme-
*Pſal.*49 mor promiſſionis ſuæ: quippè qui dixit, Inuoca me in die tribulationis: eruam te, &
*Pſal.*144 gratias ages. Nã propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Omnis
*Ioel.*2. *act.* 2 *Rom.*10 enim quicunque inuocauerit nomen Do-
*Pſal.*33 mini ſaluus erit: quoniam iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humi-

les ſpiritu ſaluabit. Hoc erat tutiſſimum noſtri Dauidis in quibuſcumque ſuis calamitatibus perfugium, ad quod ſalutis impetrandæ cauſa ſe recipiebat: vnde præſentiſſimum curis ſuis & doloribus remedium accipiebat: quod ipſe teſtatur quàm ſæpiſſimè. In tribulatione mea inuocaui Dominũ, & ad Deum meum clamaui: & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Idẽ cùm fugiens in ſpeluncam latitaret, calumniis aſſentatorum, dentéque cruento laceſſitus, apud Regem ſuum malè audiret: regno etiam cedere per filium Abſalonẽ coactus: à domo Domini, ſacríſque abeſſet: nec non contra potentiſſimos hoſtes bella ſuſtineret atrociſſima, aliíſque innumeris vrgeret malis, iugiter Dominum orabat, ne perſequutionibus ita frangeretur, vt vel attentaret, loqueretur, imò ne cogitaret quicquã turpe. Commiſſa etenim hoſtinm vltione voluntati diuinæ, cùm de auertendis tantùm malis eſſet ſollicitus, ſuo exemplo docuit, deſtitutum omni opè humana ad Deum confugere. Neque irritæ fuerunt illius preces, ſed cuncta quæ pie optauerat, nũquam non impetrauit. Tanta namque eſt Dei patris noſtri facilitas ad exaudiẽdum afflictos, vt nuſquã derelinquat ſperantes in ſe: quod pulcherrimè idem vates, ſuis ſuauiſſimis hymnis in ſacro illo Pſalmorum opere, ca-

Dauidis orãdi modus in aduerſis.

Pſal. 17. 33

Pſal. 4

1. Reg. 24

Pſal. 22. 26. 30. 44. 55. 26. 57. 63. 110. 141.

Pſal. 6. 31. 38.

Pſal. 11. 68. 119.

Pſal. 9. 36

Pſalmorum Dauidis vtilitas. noro reſonat plectro: vbi congruentem omni loco & tempori, in proſperis æquè ac aduerſis videre licet, & indè depromere orationem, qua Deum inuocare, laudare, gratias agere, & quæ nobis ſunt vſui petere, ac illius opem ſedulò impetrare poſſimus. Vnicum enim illud Pſalmorum volumen, orandi, Deùmque colendi formulam, omnibus piis obſeruandam præbere poteſt. *Pij orationis virtute ſummis eruditi periculis.* Quin & alij viri pietate inſignes, in anguſtiis conſtituti, nõ minori cura orationi vacabant, cuíus virtute atque ſubſidio, tãdem eruti ſunt & liberati: Sicuti Manaſſes Rex, *4.Reg.20* Ioſephus Patriacha, D. quoque Petrus Apoſtolus carceris ſqualorè, partim ſuis, partim aliorum precibus ſoluti ſunt. *2.Paral. 36* Oratio enim fiebat ab Eccleſia ſine intermiſsione ad *Gen.41* Deũ pro Petro, ait Lucas: Et Ezechias Rex, *Act.12* lecto decũbens, morti proximus, ſanitatem *4.Reg.20* oratione ſua, ac lõgioris vitę ſpacium, quindecim nempè annorũ, à Domino obtinuit. Suſanna quoq;, caſtitatis ſpeculum, calumnias paſſa, falſóque cõdemnata iudicio, ſuis *Dan.13* precibus à præſenti morte liberata eſt, & accuſatores talionis pœnam meritò perpeſsi. Itidem Sara, Raguelis filia, opprobrium *Tob.3* paſſa, quaſi interfectrix virorum ſuorum eſſet, cùm lachrymis deprecaretur in conſpectu ſummi Dei, exaudita eſt, & beneficio ſingulari, omni ſcelere immunis per Angelum Raph ëlem declarata, Tobiæ Iuniori,

optimi patris filio, datur in coniugem:quo cum in caſto amore, ac ſumma obedientia ſanctiſsimè viuēs,numeroſa prole maritum & auxit, & ornauit. Neque Ionas in ventre piſcis derelictus eſt: ſed cùm clamaſſet ad Dominum,imperauit piſci,&euomuit eum in terram. Daniel leonibus, vt dilaniaretur, expoſitus, & tres pueri in fornacem ardentem cõiécti,Deum humili oratione, & corde inuocantes, incolumes permanſerunt. Verax autem,& clementiſsimus Deus, promiſsionum ſuarum memor, hos omnes exaudiuit, ac voti compotes abire iuſsit. Quid?quòd Chriſtus ſeruator noſter crucis metu perculſus, Deum patrem orabat, vt calicem illum à ſe transferret,omnia tamen diuinę illius volũtati ac arbitrio relinquēs: ait, veruntamen nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Quem fidelis imitatus eſt Apoſtolus, qui cùm variè tentaretur,numinis opem aſſiduè implorabat, & reſponſum accepit, ſufficere diuinam ſibi gratiam ad ſui tutelam, qua cunctas ærumnas & pericula ſuperaret.Neque ſolùm ipſe preces fudit, verum etiam fideles ſæpenumerò hortatus eſt, vt eum orationibus iuuarent apud Deum, quò citius vinculis ſolui, periculíſque quãplurimis, mari, terráque illi imminentibus erui poſſet:docens diſcipulos, & Chriſtianę fidei profeſſores,non ſolùm propriis, ſed & aliorum piis adiuuari precibus.

Io. 2

Matth. 26

2. Cor. 12

2. Theſſ. 3
Epheſ. 4
Col. 4

Res namque conſolationis & ſanctitatis plena eſt, humilis, obnixa & aſſidua iuſti oratio, quæ nubes penetrat, cælo ſe infert, & Deum ipſum accedit. Eſt enim ſuauis odor, & Deo maximè gratus atque placens quem offenſum conciliat, mitigat iratum. Illam igitur in ſummo pretio habere debemus: cuius vſu cum Deo ſermocinamur, cuius ope miſerias noſtras & anxietates patri cæleſti exponimus: gratiam, auxilium, conſtātiam, robur & defenſionem à malis, perfectionem bonorum, & æternam vitam, facili negocio obſequimur. Hanc nobis methodum atque viam Deus ipſe oſtendit, hunc agendi modum præſcripſit, & nobis commendauit, il-
Matth. 7 *Pſal.* 170 *Marc.* 11 *Luc.* 11
lum in die tribulationis inuocare præcipiens, qui ſeſe nos exauditurum, & malis erepturum promiſit. Quærite (inquit) ô mortales, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis: petite & dabitur vobis. Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Spiritu enim bono afflabit eos, qui eum requirũt, & oratione expoſcunt. Quapropter quò maius eſt periculũ, eo diligentius & ſtudioſius ad Dei opem & miſericordiam eſt confugiendum, orationi incumbendum, & Deus inuocandus, ne in tentationes inducamur, è quibus nequeamus emergere. Hoc enim voluit Dominus, cùm diſcipulos admoneret vigilan-
Matth. 26 dum, & orandum, ne intrarent in tentatio-

nem: Spiritus quidē promptus eſt, caro autem infirma. Verumenimvero Sathanæ ſic præualēt inſultus (quod ſummopere eſt dolendum) vt nulla ferè inter chriſtianos ſit religio, nullus ardor orationis. Nam refrixit charitas, timor Domini ſublatus eſt, omnes cogitationes noſtras, & ſenſus ad ſęculi duntaxat ſolatia inquirēda dirigimus: interim pia illa (prò dolor) & cœleſtia non cogitamus. *Mat.14.*

At longè alia apud maiores noſtros fuit colendi numinis, & inuocandi cura & ſtudium. Ea etenim in re accuratè & ſeriò ſeſe exercuerunt: indè ſperantes ſibi miſeriarum, & calamitatum ſuarum præſentiſſimum remedium, quò malis liberati, debitum honorem Deo deferre, illi gratias agere, ac vberrimos bonorum operum fructus producere poſſent. Illorum ergò veſtigiis inſiſtentes, ad priſcam illam, & laudatiſſimam viam reuertamur: opera Chriſtianis digna faciamus: Deum ſedulo inuocemus, precibus illum ſine vlla intermiſſione fatigantes. Non enim eſt vſqueadeò iratus Deus, nec tanto furore commotus, vt placari non poſſit: non enim contemnit orationem humilium: ſed clemens eſt, miſericors, manſuetus, plenus fide, & pietate.

Orationi inſiſtendum, & ſi Dominus non ſtatim ſubueniat: & cur petitionibus noſtris non ſemper annuit. Conſtanter Deo fidendum. Spes certa, tutiſsimum in aduerſis aſylum.

CAP. XI.

ETſi ad tempus nos exaudire, & votis noſtris annuere diſtulerit, nihilomin⁹ perſiſtere, & orationib⁹ illum continēter vrgere debemus. Multum enim valet (ait ille, ad preces nos incitans Eliæ exēplo) deprecatio iuſti aſſidua apud Deum.

Sed quoniam nos petimus ſæpiſſimè quę nobis ſunt nocitura (non habita ſalutis noſtræ ratione) veluti fluxa hæc bona, vt in concupiſcentiis noſtris inſumamus, & pro arbitratu noſtro Dei donis abutamur, fit vt poſtulata frequenter non accipiamus. Neq; verò ij tantummodò, qui in eum finem orātes illicita poſtulant, non exaudiuntur, verūetiam (vt vir quidam ſanctitate doctrinâque præclarus, & in lege Domini verſatiſsimus annotauit) fideles ipſi Dei verbo intus confirmati, in omnibus vitæ partibus laudabiliter inſtituti, Deo grati & hominibus, multa ſolent deprecari ſecundum ſeculum, & plerunque non exaudiri.

Aug. in pſal. 59. 85

Quis enim ſanitatem nō petit, cùm ægrotat? & tamen adhuc fortè ægrotare ei vtile eſt. Poteſt fieri (inquit ille) vt in his non exaudiaris. Non tamen exaudiris ad volunta-

tem, vt exaudiaris ad vtilitatem. At verò cũ illud petis, vt det tibi vitam æternam Deus, vt det tibi ad dexteram ſui filij ſtare, cùm venerit iudicaturus terram, ſecurus eſto, accipies: ſed modo non accipis: non enim iam venit tẽpus vt accipias. Exaudiris, & neſcis: quod petis, agitur, & ſi neſcis in quo agitur: in radice res eſt, nondum in fructu: ſiquidem ipſe Apoſtolus Deo maximè charus, & electus, non eſt exauditus. In magnitudine (inquit) reuelationum ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus Sathanę, qui me colaphizat: propter quod ter dominum rogaui, vt auferret eum à me: & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Nam dum æger multa petit à medico, non dat medicus: nõ exaudit ad volũtatem, vt exaudiat ad ſanitatem. Ergo medicum tuum conſtitue Deum: pete ab eo ſalutem, & ſalus tua ipſe erit. Suadet itaque Apoſtolus Iacobus, vt agricolæ exemplo (qui expectando precioſum fructum terræ moras patienter fert, donec accipiat temporaneum, & ſerotinũ) & nos æquanimiter Dominum expectemus: quædam interim ſentiens non omninò negari, ſed vt congruo dentur tempore, differri. Nouit enim cœleſtis pater, cui ſumma eſt de nobis cura, quibus indigemus, & quando nobis vtile fuerit, opem præſtare non tardabit: (charior etenim eſt ſuperis homo, quàm ſibi vt ait ille)

2. Cor. 12.

Aug. ſuper pſal. 21. expoſi. 2

Iuuenal ſaty. 10

præſertim cum illi morē gerere, atque placere omnibus modis ſtudioſè contendimus. Hæc etenim eſt digniſſima ſapientis ſententia: Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos eius conuertet ad pacem. Quæ quidem ſola, atque vnica, in ſe cuncta complectitur pharmaca, quæ ad afflicti hominis neceſſariam attinent curationem, & tanquā efficaciſſimum antidotum, ſaluberrimam continens medicinam, qua cuncta venena quàm ociſſimè depellantur. Quapropter hanc vnicam vitæ legem ac normam ſedulò amplectamur: hanc in cunctis vitæ noſtræ actionibus methodū ſequamur: In ea ſemper permaneamus regula, vt nihil nobis arrideat, nihil ſenſum commoueat noſtrum, nihil concupiſcat, aut quærat affectus, niſi quod imprimis diuinæ placeat maieſtati. Tum Dei patris noſtri auxilium & miſericordiam omni metu depoſito imploremus, noxias offenſiones alius alij condonemus: iniuriarum obliti, pro nobis inuicem oremus. Nam ita demum fidus, & benignus parens, noſtri miſerebitur, & facilè aurem precibus adhibebit. Has quidem preces, obſecrationes, & gratiarum actiones, quas aut pro nobiſmetipſis, aut aliis quibuſcunque coram Deo fundimus, illum exorare cupiētes, ter maximus adhortatur Paulus, in publico piorum cœtu potiſſimùm fieri: perſuaſum habens, id facilius poſſe à Domino impetrari,

Prou. 16.

1. Timot. 2.

petrari, quod vnanimi voluntate, conſenſu, atque voce, plurimorum expetitur precibus: promittente Chriſto, Si duo aut tres *Mat. 18.* cōſenſerint ſuper terram de omni re, quodcūque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis eſt. Vbi enim ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Quicquid enim orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis. Verumtamē vult idem Apoſtolus nos in omni loco orare, leuantes manus puras ad Deum, etiamſi à loco, cultui publico, & precibus deſtinato, abeſſe contigerit.

Etenim Dauidis noſtri exemplo, quam- *Quomodo orandum, cū à piorū cœtu abſumus.* uis abſimus corpore, animo tamē præſentes nos eſſe demōſtrare debemus, & in Dei clementia ſpem omnem repoſitam & fixam *Pſal. 41. & 64.* habere, atque magno teneri deſiderio, vt illius benignitate tandem ſacro reſtituamur cœtui, & vt perinde orationes noſtræ exaudiantur, acceptæque ſint Deo, ac ſi in publico, & piorum congreſſu fierent. Ita Azarias in Babylone captiuus, & exul (vt eſt apud Danielem) orauit. Et Ieremias Propheta *Dan. 3.* populo Iſraëlitico, cùm in captiuitatem deduceretur, neque liberum eſſet Deum patrio more palàm colere, præcepit vt in cordibus ſuis dicerēt: Te oportet adorari, Do- *Baruch. 6.* mine. Equorum numero acceptus ille, ac Deo chariſſimus Propheta Daniel, nec pro- *Daniel. 6.* pter duriſſimas quidem leges, & Principis

minas,ab inuocando Deo ceſſauit,ſed domi ſuæ (cùm propter vim edicti regij foris id facere prohiberetur) ter in die flectebat genua ſua, & adorabat, cõfitebatúrque coram Deo ſuo, & eum inuocabat. Quo nomine delatus iuſſu Regis in lacum leonem miſſus eſt: inde tamen Dei clementia ſaluus educitur, & delatores leonibus exponuntur dilaniandi.

Horum igitur hominum fidem, & vitæ rationem, firmámque in acerbiſſimis tormentis conſtantiam imitantes, contra Sathanæ in nos ſæuientis inſultus, & imminentia diſcrimina, duremus ſtabiles, nec cuiuſuis hominis torquere volentis ſæuitiam exhorreſcamus. Nam

Horat. od. 3. lib. 3.

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ:

vt eleganter ac verè cecinit profanus ille poëta. Nos igitur, qui Chriſtiana cenſemur religione, Dei munere, ac diuinitatis pręſentia inniti debemus, ſubmiſſum iri nobis præſidium ſalutis, libertatis vinculum, & honoris ac perſeuerantię clypeum, atque telum, ad nos protegendos, & ad victoriam

conferendam, vt ea pœna vitam nobis impertiatur, qua videbamur extinguẽdi: quantóque magis vexamur, tantò firmiùs roboremur. Eſt enim nobiſcum ille, qui adoleſcentulos Hebræos credentes in ſe, & cœleſte auxilium inuocantes, in camino ignis tutatus eſt. Ille noſtras firmat mentes, ille ſenſum regit, & diuino amore corda incendit, & ad tolerantiam omnium laborum animat & confirmat. Quo præſidio munitus Dauid, dux ille magnanimus, omnes cõtempſit hoſtium aſſultus, atque technas, dum certò ſibi perſuaderet, Deũ ſe habere protectorẽ, alacri animo, mentéq; excelſa multa canens, qualia ſunt: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Dum appropinquant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas: Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Dominus mihi adiutor, non timebo quid mihi faciat homo. Et ſapiens item, eius filius: Quis enim ſperauit in Domino, & confuſus eſt? Haud quaquã profectò nos ſumus, qui inſultus hoſce vincamus, ſed ipſe in nobis, cuius auxilio regimur, cuius virtute ſeruamur. Nam in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos, ídque vt plurimum minimo ne-

Daniel. 3. *Pſal. 26.* *Pſal. 117.* *Eccle. 2.* *Rom. 8.* *Phil. 4.*

gotio, citra puluerem, ac ſudorem, vt eſt in Græcorum prouerbio: imò & per ea ipſa crebrò, quibus inſidiæ tẽduntur, vincimus. Hæc enim eſt perfectiſſima victoria, quando perſequentibus reddimur ſuperiores, iis ipſis artibus, quibus nos oppugnabant. Neque vllo modo diffidendum. Deus eſt, qui nos in certaminibus adiutat. Quare nihil mirum, ſi in mediis periculis victoriam hoſti extorqueamus.

Illecebrarum mundi contemptus. CAP. XII.

RElicta igitur omni rerum humanarum cura, & mundi illecebris, Deo noſtro firmiter adhærendum eſt, cùm nemo poſſit duobus dominis ſeruire, Deo nempè, & Mammonæ: quippè quòd hi, qui omnem curam & ſollicitudinem ad honores, diuitias, luxum, & id genus voluptates conferunt, totóſque ſe mundi negotiis impendunt, tantùm abeſt vt Deo militent, vt ne Chriſtianæ militiæ ſacramẽto obnoxij eſſe velint. Contemnenda ſunt ergo hęc omnia, tanquam malorum irritamenta, etſi ſuauitatis aliquid ac dulcedinis præſe ferre videantur. Etenim carnis noſtræ deſiderium, oculorum proſpectus, & reliqua delectationum incitamenta, vt ſenſuum deliciis capiamur, allectant: Verùm ſi ingentes, debitáſque pœnas, ac miſerias, quæ huiuſcemodi ſubſequuntur voluptates, intueri vel-

Matth. 6.
Luc. 16.
Mundi voluptates ingentes plerunque ſequũtur miſeriæ.

lemus, non dubium quin ad mundi odium, atque deteſtationem nos facilè prouocarét.

Nam qui momentaneis iſtis honoribus gaudet, ſimul atque præ cæteris in dignitate conſtitutus eſt, ſtatim initio, ſi probè ſuſcepto munere fungi velit, grauiſſimis angitur curis: ſollicitudines in immenſum accumulantur, extenduntur ieiunia, vigiliæ producũtur, quibus natura corrumpitur: ſpiritus infirmior redditur, interrumpitur ſomnus, cibi nauſeam mouent, debilitantur vires, ad extremum accelerato laboribus fato corripitur, & præcox ac immaturus diſcedit è vita. Quod non ignorabat ſapiens, cùm diceret, Omnis potentatus breuem eſſe vitam. Rex hodiè eſt, & cras morietur. His etiam malis accedit, quòd ſæpiſſimè grauiore lapſu ruunt, qui alta petuut: ita vt veriſſimum ſit, illud poëte,

Honorum incommoda.

Eccle 10.

In ſe magna ruunt, ſummiſque negatum eſt
Stare diu.

Quid verò ille qui ſapientia claret? maxima profectò indignatione, & inuidia nonnunquam afficitur. Nam qui addit ſciẽtiam (ait ſapiens) addit & laborem, eò quòd in multa ſapientia, multa indignatio. An non & diuitiæ ſuas habent, tanquam pediſſequas, miſerias?

Sapientiæ comites labor & indignatio

Tantis parta malis cur, a maiore, metúque
Seruantur: miſera eſt magni cuſtodia cenſus.

Iuuen. ſat. 14.

Et vbi multę ſunt opes, multi ſunt qui co-

Eccle. 5. & 6. medunt eas: neque aliter poſſeſſori proſunt
Miſera diuitiarũ pediſſequa. quàm quòd eos oculis cernat: minima nãque eſt illius portio, qui eas in acernum collegit: verùm ſæpiſſimè (vt paulò antè perſtrinxi) aut hoſtem, aut fiſcum relinquit hæredẽ.
Pſal. 61. Quocirca rectè monet Propheta, Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere: cùm
Pſal. 36. melius ſit modicũ iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Quanta autẽ pœnitudine tandem duci ſolent, qui gulam, & deteſtandam corporis libidinem conſectantur, teſta-
Eccle. 37. tur Sapiẽs. Noli auidus eſſe (inquit) in omni
Prouer. 31. epulatione, & non te effundas ſuper omnẽ
Eccle. 31. eſcam: in multis enim eſcis erit, infirmitas, & propter crapulam multi perierunt. Nullũ enim ſecretum, vbi regnat ebrietas: vinum namq; multum potum, irritationem & irã, & ruinã multã facit. Fornicatio, vinum, & ebrietas, auferunt cor. Hæc ſanè duo cognata mala, etſi præ cæteris omnibus plus voluptatis pro tempore habere videtur, illorum tamen nouiſſima amara ſunt, veluti abſinthium: adeò vt ea nunquam non ſequatur dolor & pœnitentia: quod pulchrè annotauit poëta quidem,

Nulla eſt adeò grata voluptas,
Quam non tetro felle dolores
Vitiant.

Superfluus cultus, & ornatus immodicus. Denique quid dicam de nimio, ac ſuperfluo corporis cultu, ædium magnificẽtia, & earundem multa & lauta ſuppellectili, at-

que immodico ornatu?Quid dicam de adulterinis & fucatis coloribus, reliquíſque id genus malorum laqueis & illecebris, ſummo ſtudio, artificioque ad decipiendas animas præparatis?Dominus per Prophetas, aliósque ſuos ſeruos, illis qui eiuſmodi præter modum delectantur, multa & metuenda comminatur.Erit pro ſuaui odore fœtor(inquit Eſaias)&pro criſpante crine caluicium, & decaluabit Dominus verticem filiarum Iuda,& crinem earum nudabit.Ne glorietur ergo quiſquam in veſtitu ſuo, neque ſint artificio fucatæ, & adſcititiæ comæ: non auro vinctæ,non gemmatis, & luxurioſis obuolutæ faſciis:quando quidem fallax eſt gratia, & vana pulchritudo, & veluti ventus euaneſcit.Hodie qui ſuperbit diuitiis,cras ſubita paupertate mœret:hodie incolumis incedit, cras infirmus decumbit: hodie viuit & ſpirat,cras moritur,iacétque exangue cadauer:hodie in magna pompa exultat, cras affertur triſte feretrum, & lamentabile funus producitur.Quot,obſecro, magnificos etiã Principes in ſummo vitæ,ac fortunæ mirificè arridentis ſplendore, in fragrante ætatis flore,atque robore,præter omnem expectationem rebus humanis eximi videmus? qui ſuo exemplo luculenter oſtendunt, quàm nihil ſit ſub ſole diuturnur,quà meritò contemnenda ſunt omnia, quæ poſſit adferre hic mundus. Iure igiiur cum Propheta cla-

Eſai.3. *Ezech.27.* *1.Timot.2.* *1.Pet.3.* *Prouerb.3.* *Eſai.40.* *Iob.27.*

mare licet, filij hominum, vſquequò graui
Eccleſ.1.2. corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis
mendatium? Proinde inclytus Rex Solomon,
præ cunctis mortalibus ſapientia, diuitiis,
gloria, ſæculi pompa, corporis voluptate,
atque luxu diffluebat, & iiſdem ex animi
ſententia fruebatur: verumtamen idem ea omnia,
vti vana, & malorum materiam deteſtatus eſt.

Idcirco longa Deus experientia, & concionatoris munere probè perfunctus, cunctos ex æquo mortales hortatur, atque monet, vt ſpretis & neglectis huius ſæculi rebus, ac ipſa denique morte, ardente deſiderio ad vnicum illum totius noſtræ peregrinationis ſcopum collimare, Deum nimirū diligere, timere, eius mandata diligenter ſeruare, iiſque morem gerere diſcamus: vt non vereamur ad illius tribunal accedere, cùm cuncta quæ fiunt, adducit in iudicium.

Mors piis grata, etſi impiis terribilis, non tamen metuenda. CAP. XIII.

Terribilium omnium maximè terribilis eſt mors, fateor: ſed iis qui pietatem & iuſtitiam verè coluerunt, timenda non eſt. Impij autem graui metu, ac mœrore affici
Luca 16. debent, quos à ſuis deliciis, quibus in vita fruebantur, abſtrahit, & eò loci detrudit, vbi
Math.25 æternis torqueantur ſuppliciis, cùm contra pios, omnibus mundi calamitatibus eripiat, & ad perpetua gaudia perducat. Si e-

nim poſteà quàm erumnis huius ſeculi cõcuſſi, varios pro iuſtitia labores exantlauerimus, & tandem crudeli forſan mortis genere è mundo ſublati fuerimus, nihil nos eſſe ſciremus: profectò miſerrimi omnium hominum (vt habet Apoſtolus) & ſtultiſſimi eſſemus, ſi non conſuleremus huic vitæ, vt ſit admodum diutina, & omni voluptate refertiſſima. At verò cùm ex nobis diuinitùs tradita diſciplina certiſſimè conſtet, huius vitę breuiſſimo curriculo immortalem ſuccedere, præſentem rerum ac vitæ ſtatum, atque conditionem Chriſti ſeruos contemnere oportet. Omnis namque huiuſcemodi iactura immortalitate penſabitur, & vulnera noſtra quæcunque, & fortunę conflictationes cœleſti medicina curabuntur. Vt enim medicus, licet ferro ſecet, vrat cauterio, ſynapis incendio grauiſſimis tormentis ægrum afficiat, non propterea cẽſetur inimicus: quippè qui momentaneis doloribus diuturniores depellit: ita Chriſti curatio dura nobis videri non debet, quę morte mortẽ diſſoluit. Satius enim eſt temporariis cruciatibus torqueri, quã æternis. 1.Cor.15.

Quoties igitur mentibus noſtris cogitatio mortis obuerſatur, certò in animum inducere debemus, animi à corporis nexu diſſolutione, non tã tolli vitam, quàm dari: preſertim cùm pro mox peritura, ſempiternam: pro fragili & caduca, perpetuam, & interitui

non obnoxiam ſimus accepturi. Hac fiducia conſtanti, ſpéque fretus Apoſtolus, omnes aduerſæ fortunæ flatus quantumuis graues æquo pertulit animo: terrena quoque pro nihilo ducens, vt æternam lucrifaceret vitam: & lubentiſſimè cupiens diſſolui, eſſéque cum Chriſto, exclamat his verbis: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et aliàs, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Et rurſus, Mori mihi lucrum eſt, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sic & Dauid, dolens longam in hoc ſæculo morã, geménſque ait, Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Etenim quandiu ſumus in hoc mundo, peregrinamur à Domino, & à cœleſti patria ſumus exules: patria (inquam) quæ illis propriè debetur, qui malorum inſectationem, & calamitates placidè ferunt dicẽte Chriſto: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorũ. Et rurſus, Beati eſtis, cùm vos odio habuerint homines, & perſecuti fuerint: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

Philip. 3. *Ro. 7.* *Pſalm. 119.* *Matth. 5.* *Luc. 6.*

Nos igitur, qui verè Chriſtiani ſumus, ne fragili, & momentanea præſentis vitæ dulcedine capiamur, æternè ſecuritatis & fœlicitatis gloriam, vitæque perpetuò duraturę captemus hæreditatem: Beati Ioannis Apoſtoli, vt terrena ſpernentes, cœleſtia ſequi ve-

limus, religioſè & ſeriò ſeruãda vox eſt: Mũdus tranſit, & concupiſcentia eius: qui autẽ faciunt voluntatem Dei, manẽt in ęternum. Neque verò ſolliciti ſimus, quo mortis genere præſens vita nobis eripiatur, cùm certò ſciamus tandem aliquando moriendum nobis eſſe. Præclara quidem eſt illa viri cuiuſdam pij, è carcere ad Conſtantium Imperatorem ſcribentis ſentẽtia: Intereſt (inquit) ex qua cauſa, non ex quo pẽdeam ſtipite. Siquidẽ multos videmus, qui in lectulis crudeliùs pereunt, (veluti quos vel interior aliqua ſuppuratio inflauit, vel quos inter ſe colluctantium neruorum dolor contraxit) quàm qui gladio, aqua, igne, aut quouis alio ſuppliciorum genere tolluntur è medio. Certè hoc vnum Chriſtianis ſatis eſſe debet, quòd per hæc momentanea ſupplicia omne finiatur ſupplicium, & per mortem ſemel illatam, ad nos perueniat lęta immortalitas.

Lucifer Epiſcop.

Ardens æternæ vitæ deſiderium, gloriæque cœleſtis contemplatio, afflictis valdè iucunda.

CAP. XIIII.

QVapropter ad hanc patriam cœleſtem anhelandum, & toto animi robore nobis contendendum eſt. Ibi enim, atque ibi ſolum eſt illud totum, quod anxij quærimus: vita immortalis, ſempiternum gaudium, quies æterna ſumma charitas, ſecuritas certa, tranquilla iucunditas,

immutabilis & æterna beatitudo. Quibus rationibus ductus ſanctiſſimus ille Rex & vates, nihil ardentioribus votis expetiuit, quàm domicilij cœleſtis habitationẽ: eos nimirum beatoſ ac fœlices pronuntians, quibus tantum bonum contigit. Tùm (inquit) ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua, Domine: Ibi iuſti inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuę potabis eos. Ibi namque recipiemus immarceſſibi-
Pſal.16. & 35 lem operum noſtrarum coronã & gloriam,
1. Pet.1 quam repromiſit Deus diligentibus ſe: gloriam, quàm mortalium quidem nemo mente, aut cogitatione comprehendere poteſt, tantùm abeſt, vt verbis exprimere valeat. Nã neque Propheta eximius Eſaias, neque is qui præ cæteris Apoſtolis diuina pollebat eloquẽtia, Paulus, Illius habitaculi pulchri-
Eſai 64 tudinem, ac amœnitatem, & inenarrabilis
1 ad Cor.1 gaudij permanentem fœlicitatem potuit explicare. Eadem admirans regius ille vates, animo ſe deficere profitetur, maxima cupiditate allectus, vt illuc tandem perueniat: cuius rei ſpe fretus, velut extra ſe poſitus, & exultans canit: Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini: cor meum,
Pſal.30.83. & caró mea exultauerunt in Deum viuum. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!
Luc.22 Hoc ſummum præmiũ ſuis diſcipulis pro-

niſit Chriſtus, dicēs, Vos eſtis, qui permāſiſtis in tribulationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam, & ſedeatis ſuper thronos in regno meo. Nec ſolùm illi duodecim, apud quos Chriſtus ſermonem habuerat, verùm omnes quotquot terrenos affectus contempſerint, carníſque voluptates frænarint, centuplum accipiēt, & ſimul cum illis perenni vita fruentur, ſicut & in ſoliis iudicantium ſedebunt, cùm venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuę, condemnaturi quidem eos qui credere noluerunt, neque pro iuſtitia ſeſe periculis, ac laboribus mācipare, ſed pios atque bonos impiè ſunt inſectati. Certè ſi quis Rex terrenus tanto honore & authoritate quempiam dignaretur, vt eum ſocium mēſę ac ſuper proceres omnes, atque ſubditos iudicem conſtitueret: non is maximo afficeretur gaudio, primum poſt Regem in regno locum obtinens? At verò hic ſummus Princeps noſter, qui Rex eſt Regum, & dominus dominantium, certò pollicetur ſe daturum ei qui vicerit, & Sathanæ inſultus & tormenta ſuperauerit, locum, vt ſedeat in ciuitate illa cœleſti, & amœniſſima Ieruſalem, vbi Dominus Deus noſter poſſeſſor eiuſdem habitat, vbi lumen indeficiens, vbi nec fames, nec ſitis æſtuſue aut frigus ſit nociturum.

Marc. 19

Apoc. 3. & 21.

Ciuitatis cœleſtis, & æternæ gloriæ pia contemplatio.

O terque quaterque nos beatos, vbi fuerimus, non ſolùm Aegelis ęquales, ſed & beatiſſima ipſius Dei præſentia fruituri ſumus: imò ipſum contemplaturi, non per
1. ad Cor. 13 ſpeculum in ænigurate, ſed facie ad faci em, ſicuti eſt: cuius viſio ſummè iucunda eſt, omni delectationi, omni lætitiæ (quæ fando exprimi, aut comparatione æquari poteſt) præcellens: quam haud dubiè ſimul atque adepti fuerimus, nihil aliud à nobis appeti poteſt, cùm infinita ſit eius bonitas, omnem perfectionem, omnemque nobilitatem & pulchritudinem, cum immenſa plenitudine compræhendens, noſtræ menti eam intuenti maximè ſuauis, atque abundantiſſimè ſatiſfaciens, Etenim æterna illa ſapientia animum noſtrum omni agnitione & veritate adornabit, ac verè fœlicem reddet. Talem quoque ibidem ſolidæ pacis, & diuinæ fruitionis dulcedinẽ guſtabim⁹, vt amore creatoris abſorpti, ab eius amplexu atque aſpectu nunquã auelli poſsimus. Contemplabimur præterea, & perſpicuè comprehendemus, Deum eſſe trinum, & vnum (cuius ſimulacrum nunc fide mediocriter percipimus) mutuumque patris, filij, & ſancti ſpiritus amorem, nexum, atque gloriam: Chriſti quoque mediatoris noſtri humanitatem eiuſque dignitatem, & ſupra Angelorum choros, & reliquas poteſtates quaſcumque, excellentia inæſtimabili eleuatam.

Viſio Dei ſummè iucunda.

Adhæc quanta voluptas erit cœleſtes ſpe- *Dan. 7*
culari hierarchias, Angelorum pulcherrimè *Iob. 15. 33*
diſtinctos ordines, vbi millià millium mini- *Apoc. 5*
ſtrãt creatori noſtro, decieſque cẽtena millia illi aſſiſtunt, aut verius, vbi non ſit militum eius numerus? Cernere quoque tùm licebit, vniuerſam hominum ab orbe condito, ex omni ſtatu, conditione, ſexu, atque ætate, electorum multitudinẽ, & nonnullos etiam eorum, qui dum hîc viuerẽt, pietatis & virtutis neceſſitudine, ac familiaritate nobis coniuncti fuerant, Eccleſiam illam triumphantem in cœlis conſtituentium. Et ſi hæc parua videntur, adde totius militiæ cœleſtis concordem pacem, feruidam charitatẽ, ſocietatem iucundiſſimam, voluntatẽ omniũ vnanimem, immenſam rerum pulchritudinem, ac ſolidam & perfectam denique gloriam: vbi nihil deeſſe poteſt, quod diligitur, aut appetitur: aut adeſſe, quod auerſamur: Vbi denique Deus ipſe omnia implet, omnia ad ſe trahit, & omnia poſſidet. Qui ergo huius ſæculi diuitiis inhiat, & ærumnas atque certamina quantumuis atrocia propter Chriſtũ recuſat: & in ſumma, qui non mente, cordéque feruente in illam requiem, noctes atque dies ingredi contendit, non eſt vtique ea dignus beatitudine.

Pia ethnicorum ſententia de animorum immortalitate æternaque fœlicitate. CAP. XV.

AD fœlitatem quidem peruenire non ſolùm verè Dei cultores, verumetiam quidam ex ipſis ethnicis magno æſtuabant zelo: & quãuis hi ad illius, quæ vera & æterna eſt, notitiam, nunquam penetrarunt, tamen vt illam quã ſomniabant, facilius aſſequi poſſent, momentaneas huiuſce vitæ voluptates, ac mortem contemnere nõ dubitabant: imò verò vitam hanc, qua hîc viuitur, potiùs mortem quàm vitam dici, & eos qui viuentes iuſtitiam & pietatem coluerunt, æternum viuere, & ex corporum vinculis, tanquam è carcere auolaſſe exiſtimabant. Confirmauit id Socrates, qui cùm cùm eſſet ſapientiſsimus oraculo Apollinis iudicatus, ſupremo vitę ſuę die de immortalitate animorum diſſerebat. Moriens quoque Cyrus Perſarum monarcha, inter pręſtantiſsimos mundi reges & heroas vnus habitus, de animorũ immortalitate, & de fœlici eorumdem poſt hanc vitam ſtatu ſermonem ad filios ſuos & populum, vt eſt apud Xenophontem, grauitatis plenum habuit. Nolite (inquit) arbitrari, ô mihi chariſsimi filij, me, cùm à vobis deceſſero, nuſquam aut nullum fore: nec enim dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed cùm eſſem in hoc corpore, ex his rebus quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. Perſuaſum namque habebat pius ille Rex, per Danielem

Xenophon in Pedia.

nielem Prophetam, vt credere par eſt, veram Dei ſapientiã atque legẽ edoctus ſe in ęternam illam recipiendũ eſſe fœlicitatẽ vbi etiam Africanum, Paulum, ac multos alios homines probos perpetuò viuere, apud Ciceronẽ aſſerit Scipio. Qua ſententia motus, grauitate & ſapientia cęteris preſtans Cato, vbi de immortali animorum vita egregiè diſputaſſet, diſſolui cupiẽs, & ipſorum iungi conſortio, in hanc vel Chriſtiano viro dignam prorupit vocem: O pręclarum diem, cùm ad illud animorum concilium cœtùmque proficiſcar, & cùm ex hac turba & colluuione diſcedam! Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Commorandi enim hîc natura diuerſorium nobis, non habitandi locum dedit. Quid quòd ſapientiſsimus quiſque ęquiſsimo animo moritur, ſtultiſsimus iniquiſsimo? Animus enim is, qui plus cernit, & longiùs, videt ſe ad meliora proficiſci: ille autem, cui obtuſior acies eſt, non videt. hęc ille. Huius autem pronepos procul patria, Cęſaris tyrannidem fugiens, lectis his quę à Platone in hanc ſententiam ſcripta ſunt, & indè ſufficienter edoctus, piorum hominum animos in magna pace & quiete in perpetuum tempus viuere vitam hanc nihili ducens, vt ad cœtum illum properaret, ſponte ſibi accelerauit mortem. Quòd ſi tanta fuit Platonicę doctrinę vis & energia, quantò magis ho-

Cic. in Somnio Scipion.

Cic. de Senect.

Plato in phed.

Plutar. in vita Catonis.

minis Chriſtiani oratio ex ſacris fontibus hauſta(& ſi ne vmbram quidem Platonicæ eloquentię prę ſe ferat)ſalutarem ac cœlitùs demiſſam redolens ſapientiam, Chriſti diſcipulos in illam de contemnenda morte ſententiam inducere deberet. O fęlicem illum,qui momentaneo mortis cruciatu, ſi à tyrannis inferatur, ſempiternam quietem ſibi comparandam ducit: aliòqui iniuſſu ſummi imperatoris,id eſt Dei, è vita decedere, haudquaquam quis ſibi licere exiſtimet. Grauat nos admodum hæc corporis moles,quam circumferimus: ſed tandẽ pro corpore interitui obnoxio, excitabitur nobis firmiſſimum,ac natura incorruptũ: pro vili & abiecto,ſplendore inenarrabili,ac decore exornatum: pro infirmo & impotenti, tale quidem,quod abſque cibo,potu, & aliis adminiculis,ſine quibus caduca hæc vita ne conſeruare quidem ſeſe ab interitu poteſt,vegetum, perenneque maneat: poſtremò pro animali, non tãtùm corpus ſpiritale reddetur,ſed & anima Dei præpotenti virtute, illi etiam ſtabili nexu, perpetuàque concordia vnietur:ita vt morte tãdem cum ſuis ſtimulis profligata,participes reddamur illius victoriæ, quæ per imperatorẽ, ducem, ac datorem ſalutis noſtræ Ieſum Chriſtum comparata eſt: cum quo, & per quem,ad portum perpetuæ quietis deducemur,& ſecuri, trãquilli paratiſſimis, exqui-

ſitiſſimíſque perfruemur voluptatibus, sẽpiterna vitæ gaudentes vſura, quod fidis mercenariis promiſit Deus ab origine mũdi, vti diuina vos edocent oracula, per Prophetas & Apoſtolos conſcripta. *Math.25* *Eſai 64* *Iob.19*

Nihil magis afflictorum animos conſolatur, quàm ſacrarum literarum lectio aſsidua.

CAP. XVI.

QVæ quidem ſacroſancta legis & Euãgelij teſtimonia debemus, maximè cùm ęgritudinum, ac malorum procellis, atque impetu pellimur, nocturna verſare manu, paritérque diurna, & in illis ſedulo meditari. In his etenim vt benè viuendi præcepta traduntur, ita ſanctiſſimorum hominum præclara geſta, quaſi ſimulachra quædam, & viuæ virtutum imagines, nobis ob oculos propoſitæ ſunt. Proinde qua re quiſque noſtrum ſe indigere ſenſerit, Dei Opt. Max. ſingulari dono atque munere traditis incumbat ſcripturis, indèque tanquam à pharmacopola aliquo pręſtãtiſſimum ægritudini ſuæ medicamentum comparare poterit. Ac certè qui in rebus arduis & aduerſis, magno & erecto animo, eo denique benè ac leniter affecto, atque clementi eſſe cupiat, Dauidem noſtrum illic talem graphicè depictum inueniet: in rebus quidem bellicis fortem, in ſuſtinen- *1.Reg.17.* *18.21.22.23*

dis malorum inſectationibus, celſos animi ſpiritus retinentem: in vlciſcendis iniuriis lenitatem atque clementiam, ſupra quam credi poteſt,in eo intuebitur.In hûc cœtum referendus eſt & Moyſes, qui licet graui commotus ira in illos, qui Deum offenderant, inſurrexerit, humaniſſimus omninò, animoque mitiſſimo in ſuos calumniatores extitit. Rurſum ſi caſtitatis amans es, continentiſſimi Ioſephi, & pudicæ Suſannę hiſtorias aſſiduè euoluas:ſi verò patientię, & ſortitudinis, Iobus atque Tobias te inſtituent, qui in omni fortuna iidem ſemper, ſuique prorſus ſimiles permanſerunt: quod item de Soccrate & C.Cęlio accepimus, in quibus ſemper idem vultus,eadêque frons, vt ait Cicero.Atque ita ſingula queque ſanctorum Patrum pręclara geſta atque opera in ſacris literis nobis ob oculos proponuntur,vt ad illorum nimirum imitationem & nos prouocemur,vtque dum eorum victorias audimus, eò minus noſtrę mentes intra certamina trepident, quò plures tot virorum fortium triumphos vident.Indè probè diſcere poſſimus quanta ſit patientię virtutum longè pręſtantiſſimę, omnibus afflictis imprimis neceſſarię, vis atque vtilitas.

Exod.32. *Num.11.12.14. & 16.* *Geneſ.39.* *Daniel. 13.* *Iob.1.2.24.* *Tob.2.3. 12.*

Patientiæ vis & fructus, & ad eandem exhortatio. CAP. 17.

ETenim patientia eſt, quæ nos Deo & commendat,& ſeruat,quę iram temperat,quæ linguam frenat, quæ mentē gubernat,pacem cuſtodit,diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, timores & violentiam comprimit,incēdium ſimultatis extinguit,coërcet potentiam diuitum,pauperum inopiam ſubleuat, tuetur in virginibus integritatem,laborioſam in viduis caſtitatem, indiuiduam charitatem in coniunctis: facit humiles in proſperis,fortes in aduerſis,contra iniurias & contumelias mites: delinquētibus cito ignoſcere,etſi ipſe delinquas, ad preces animum conuertere iubet, tentationes expugnat,inſectationes tolerat, martyria conſūmat:ea eſt denique,quæ fidei noſtræ fundamēta munit. Eſt enim nobis cùm Deo iſta virtus communis, cuius origo & magnitudo à Deo authore procedit, vti piè cecinit Dauid docēs nos debere à ſolo Deo pendere. Quoniam ab ipſo patientia mea, inquit ille:quia ipſe Deus meus,& ſeruator meus, adiutor meus, & non emigrabo. In Deo ſalutare meum,& gloria mea,Deus auxilii mei,& ſpes mea in Deo eſt. Quãobrem diuinus idem vates, cùm in ſeditione Abſalonica grauiſſimas patientiſſimè ſuſtinuiſſet iniurias,& indè perdidiciſſet, quanti retulerit,omnem vitam ex diuino præſcripto traducere,ampliſſimum legis,& verbi Dei ſcripſit encomium:illius ſaluti feram & ple- *Pſal.*118.

nam vim explicans,& quibus diuina illa, & ſumma ſapientia cōferatur,quantóque eam ſtudio perſequi conueniat: Vnde conſolationem animi, ac ſalutaria in ſuis anguſtiis remedia ſe accepiſſe teſtatur.

Hæc ſemper corde reuoluere, hæc diebus ac noctibus aſſiduè cogitare, hæc in omnibus vitæ actionibus iugiter meditari Chriſtianum hominē decet maximè,& pro certo habere ac indubitato,mala,quæ in hac vita patimur, breuia, & minimo tempore duratura ,ac illius vitæ,quam deſideramus, gau-
Rom.8. dia fore ſempiterna.

Ex hoc ſacro ſancto diuinarum ſcripturarum fonte, pias haſce afflicti animi meditationes diuináque remedia hauſimus, didicimus, & in ordinem vtrumque redegimus : in quibus recenſendis (niſi tædij metus vrgeret) diutius nos hęrere lubentiſſimè pateremur: quæ tamen in præſentia breuiter dicta ſunt,dulcia ęgris animis, vti ſperamus,ſolatia adferent. Quocirca (Sereniſſima inuictique animi Regina) ſumma excelſę mentis fortitudine (cuius munera duo maxima ſunt,doloris, mortiſque contemptio)ac pari cōſtantia,ęrumnas, diuexationes, imò & acerbiſſimos quoſque inſultus patientiſſimè toleremus, Deum protectorem,tutiſsimum in rebus arduis aſylum, ſedulò inuocātes, à cuius charitate, inuictaque patientia, neque tribulatio, neque an-

guſtia, nec fames, nec nuditas, honorũ, bonorúmve naufragia, carceris pœna, periculum aut gladius nos ſeparet. Ille etenim noſtræ ſalutis curam gerens, nobiſcum ſemper aderit certamini, nec oneri ſuccumbere, aut tormentis quantumuis aſperis ſuos patietur ſuperari: ſed cùm illi viſum fuerit vtile nobis fore, prę́ſenti nos eripiet periculo. Sin autem inopinatam mortem nos occumbere voluerit, illam placidé, ac ſi eandem appetere videremur, oppetamus: vt ſoluti hiſce animi curis, atque moleſtiis, dulcia perpetuæ vitæ ſolatia guſtare, & illis ſemper cũ Domino frui poſſimus: quæ quidẽ, pro ſua clementi pietate ac miſericordia nobis concedat, qui ſolus cuncta poteſt, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Amen.

Inuoca me in die tribulationis,
Eruam te, & honorificabis me.
Pſal. 49.

LITERARVM SERENISSIMÆ D. MARIÆ SCOTORVM Reginæ, ad Epiſcopum Roſſenſem, Scotico idiomate ſcriptarum, verſio Latina.

REVERENDO IN CHRISTO patri, Roſſenſi Epiſcopo, fideliſſimo conſiliario noſtro, & apud ſororem noſtram chariſſimam atque cognatam Elyſabetham, Angliæ Reginam, Legato.

LIBRVM vnà, literáſque tuas, Pater in Chriſto Reuerende, pridie No. Auguſt. per te datas, tandem propicio numine accepimus, quibus laborem carceris nō minus tibi quàm nobis moleſtum eſſe intelligo, nec aliam diuturni ſilentij iuſtiorem à te cauſam requiro. Hæc enim ſola ratio ſatis apud me valet, meretúrque vt quicquid per te noſtro nomine geſtum eſt, ratum ac firmum habeamus: præſertim verò cum non iam primum, ſed multis annis longa didicerimus experientia, qua religione ac fide negotiis noſtris incumbas. Cæterùm hoc graue nobis imprimis & moleſtum eſt, quòd poſt tam diuturnam cuſtodiam non pateat tibi ad

nos acceſſus, vt cum non liceat perſonam tueri priſtinam, & publicam prouinciam tibi à nobis impoſitam ſuſtinere, liceat ſaltem coram colloqui, & liberè ſuſcepti muneris, rerúmque in legatione geſtarum rationem reddere. Quod mihi quanquam acerbiſsimum eſt, fero tamen, vt poſſum, non minus conſtãter ac placidè quam cæteras fortunæ iactationes, aduerſus quas iam propè occalui. Hoc enim in animum induxi, non eſſe malis cedendum, ſed fortiter ferendum, quemcũque fortuna caſum in vitam inuexerit, nec minus in aduerſis, quam in rebus proſperis, & ad voluntatem affluentibus, habendam eſſe numini gratiam: quanquam, vt verè fatear (quæ naturæ mortalis imbecillitas eſt) non potui hucuſque ita modum affectibus imponere, quin aliquo modo, præſente rerum conditione ac ſtatu commouerer. Quo factum eſſe reor, vt animi ægritudine in corpus manante, mutua inter ſe vtriúſque partis conſpiratione ac ſympathia, non minus corpore quàm animo ægrotarem. Sed nunc, Superis gratia, poſtquam liberiorem paulò nactæ cuſtodiam, tandem aliquando colligere noſmet, atque ex morbo recreare cœpimus, admonitiones, conſiliáque tua, perſonæ officióque tuo imprimis conuenientia, & eccleſiaſtico viro digna, magnam ægritudinis noſtræ partem ſubleuarunt. Conſolatur autem nos imprimis liber ille, quem ad nos miſiſti, non minus gratus & acceptus, quam diuinis meditationibus, & piis afflicti & ægroti animi remediis plenus. Eum nos ſemel atque iterum legimus, nõn oſcitanter ac perfunctoriè, ſed tanto cum fructu, vt afflictum regni

ſtatum & fortunæ viciſsitudinem, quoad poſſumus, conſtanter ac fortiter cæleſti beneficio conſolemur. Atque vt hoc me ex animo dicere ſentias, ecce tibi verſibus aliquot in eam rem à me Gallico idiomate compoſitis teſtatum eſſe volui. Neque enim abiicimus noſmet, quaſi tumultuantes de gradu deiectæ, nec animũ planè deſpõdemus, ſed diuinæ maieſtatis potentiam agnoſcimus, ac ſæpiùs experta cõfitemur. Quæ res afflictam me, ac iacentem erigit, & magna ſpe confirmat, tandem aliquando benè rebus noſtris conſultum iri, detecta hoſtium ac nefariorum ciuium & ſubditorũ fraude, meque mihi, patriæ, regno, ac religioni reſtituta. Deus dedit, Deus abſtulit, Deus reddet cùm voluerit: cui gratia, laus, & honor in perpetuum, In cuius benignitate nos animo deliberato ſpem omnem fiximus, eiuſque diuinæ voluntati, cùm in aduerſis, tum in ſecundis, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, animo præſenti, conſtanter acquieſcere decreuimus. Vale.

E caſtro Shefeldiæ, prid. id. Auguſt. 1572.

Tibi amiciſsima Domina Maria R.

MEDITATION FAITE PAR LA ROYNE D'ESCOCE, DOVAIRIERE de France, recueillie d'vn liure Des conſolations diuines, compoſez par l'Eueſque de Roſſe.

Lors qu'il conuient à chacun repoſer,
Et pour vn temps tout ſoucy depoſer,
Vng ſouuenir de mon amere vie
Me vient oſter de tout dormir l'enuie,
Repreſentant à mes yeux viuement,
De bien en mal vn ſoudain changement,
Qui diſtiller me fait lors ſur la face
La triſte humeur, qui tout plaiſir efface:
Dont toſt apres, cerchant de m'alleger,
I'entre en diſcours, non friuole ou legier,
Conſiderant du monde l'inconſtance,
Et des mortels le trop peu d'aſſeurance:
Iugeant par là rien n'eſtre permanent,
Ny bien, ny mal, deſſous le firmament.
Ce que ſoudain me met en ſouuenance
Des ſages dicts du Roy, plein de prudence.
I'ay (ce dit il) cerché tous les plaiſirs,
Qui peuuent plus aſſouuir mes deſirs:
Mais ie n'ay veu en ceſte maſſe ronde
Que vanité, dont fol eſt qui s'y fonde.
Dequoy mes yeux experience ont eu
Durant noz iours: car i'ay ſouuent veu

Ceux qui touchoient les haults cieux de la teſte,
Soudainement renuerſez par tempeſte.
Les plus grands Roys, Monarques, Empereurs,
De leurs eſtats & vies ne ſont ſeurs.
Baſtir palais, & amaſſer cheuance,
Retourne en brief en perte & decadence.
Eſtre venu des parens geneureux,
N'empeſche point qu'on ne ſoit malheureux.
Les beaux habits, le ieu, le ris, la danſe,
Ne laiſſent d'eux que dueil & repentance:
Et la beauté, tant agreable aux yeux,
Se part de nous, quand nous deuenons vieux.
Boire & manger, & viure tout à l'aiſe,
Reuient auſſi à douleur & malaiſe.
Beaucoup d'amis, richeſſe, ny ſçauoir,
De contenter, qui les a, n'ont pouuoir.
Brief, tout le bien de ceſte vie humaine
Se garde peu, & ſ'acquiert à grand' peine.
Que nous ſert donc icy nous amuſer
Aux vanitez, qui ne font qu'abuſer?
Il fault cercher en bien plus haulte place
Le vray repos, le plaiſir, & la grace,
Qui promiſe eſt à ceux, qui de bon cœur
Retourneront à l'vnique Sauueur:
Car au ciel eſt noſtre æternel partage,
Ia ordonné pour nous en heritage.
Mais qui pourra, ô pere treshumain,
Auoir ceſt heur, ſi tu n'y mets la main,
D'abandonner ſon peché & offenſe,
En ayant fait condigne penitence?
Ou qui pourra ce monde deſpriſer,

Pour ſeul t'aimer, honorer & priſer?
Nul pour certain, ſi ta douce clemence
Le preuenant, à tel bien ne l'auance,
Parquoy, Seigneur, & Pere ſouuerain,
Regarde moy de viſage ſerain,
Dont regardas la femme pechereſſe,
Qui à tes pieds pleuroit ſes maux ſans ceſſe:
Dont regardas Pierre pareillement,
Qui ja t'auoit nié par iurement:
Et comme à eux, donne moy ceſte grace,
Que ta mercy tous mes pechez efface.
En retirant de ce monde mon cœur,
Fay l'aſpirer à l'eternel bon heur.
Donne, Seigneur, donne moy patience,
Amour, & foy, & en toy eſperance,
L'humilité, auec deuotion
De te ſeruir de pure affection.
Enuoye moy ta diuine prudence,
Pour empeſcher que peché ne m'offence.
Iamais de moy n'eſlongne verité,
Simple douceur, auecques charité.
La chaſteté, & la perſeuerance
demeure en moy, auec obeiſſance.
De tous erreurs, Seigneur, preſerue moy,
Et tous les iours, Chriſt augmente la foy
Que i'ay receu de ma mere l'Egliſe,
Où i'ay recours pour mon lieu de franchiſe,
Contre peché, ignorance, & orgueil,
Qui font aller au perdurable dueil.
Permets, Seigneur, que touſiours mon bon Ange
Soit pres de moy, & t'offre ma loüange,

Mes oraiſons, mes larmes, & ſouſpirs,
Et de mon cœur tous iuſtes deſirs.
Ton ſainct Eſprit ſur moy face demeure,
Tant que voudras qu'en ce monde ie dure.
Et quand, Seigneur, ta clemence & bonté
M'oſter voudra de la captiuité,
Où mon eſprit reſide en ceſte vie,
Pleine de maux, de tourmens, & d'enuie.
Me ſouuenir donne moy le pouuoir
De tes merces, & fiance y auoir,
Ayant au cœur ta paßion eſcrite,
Que i'offriray au lieu de mon merite.
Donques, mon Dieu, ne m'abandonne point,
Et meſmement en ceſt extreme poinct,
A celle fin que tes voyes ie tienne,
Et que vers toy à la fin ie paruienne.

SA VERTV M'ATTIRE,
MARIE STVVARTE.

SONET.

L'Ire de Dieu par le ſang ne ſ'appaiſe
De bœufs, ny boucs, eſpandu ſur l'autel,
Ny par encens, ou Sacrifice tel,
Le Souuerain ne reçoit aucun aiſe.
Qui veult, Seigneur, faire œuure qui te plaiſe,
Il faut qu'il ayt ſa foy en l'Immortel,
Auec eſpoir, charité au mortel,
Et bien faiſant que ton loz il ne taiſe.
L'oblation, qui t'eſt ſeule agreable,
C'eſt vn eſprit en oraiſon conſtant,
Humble & deuot, en vn corps chaſte eſtant.

O Tout-puiſſant, ſois moy ſi ſauorable,
Que pour touſiours ces graces dans mon cœur
Puiſſent reſter à ta gloire & honneur!

VA, TV MERITERAS.

EADEM MEDITATIO Latinè.

Nocte colunt alij pacem, lenique diurnas
Demulcent ſomno curas, mihi nocte recurſans
Fortunæ, rerúmque vices, & triſtis imago
Mutati ſubito fati ſuſpenſa fatigat
Pectora, nec placidam membris dat cura quietem.
Tùm madet irriguo lachrymarum flumine vultus,
Gaudia diſcedunt animo, grauiórque laborum
Cura leuandorum ſenſim præcordia tangit.
Occurrit menti rerum inconſtantia, ludus
Fortunæ varia mortales ſorte rotantis.
Nil ſtabile aut fixum conuexi cardine cœli
Clauditur, occulto fatorum numine conſtant
Nec bona, nec mala, perpetuo ſubeuntia curſu.
Hîc mihi digna ſopho ſententia, dignáque Rege
Ægram ſolatur mentem. Nil, inquit, in orbe
Humanos mulcère poteſt dulcedine ſenſus.
Nil pulchrũ ac volupte eſt, quod nõ expertus amico
Indulſi genio. Tandem vaniſſima ſenſi
Omnia, quæ medio librata columine cœlum
Continet, ac placidis mortalia pectora ludunt
Deliciis. Vana hæc ſunt omnia, nec niſi blanda
Spe ſtultos capiunt. Ipſa hoc experta fidelis
Teſtis ero, noſtris ſuperant exempla diebus.

Vidi

Vidi ego ſublimi ferientes ſidera multos
Vertice, qui ſubita quaſi tempeſtate relapſi
Deciderint. Ipſis non regibus atque monarchis,
Telluris dominis, ſortis datur eſſe, ſuaq́,
Securos vitæ. Specioſa palatia gemmis,
Auro, adamante, ruunt momento: ſtructáque celſis
Aggeribus longo ſudore, pecunia longo
Poſſeſſore caret: nec ſtemmata clara beatum
Efficiunt. Picta veſtes, oſtróque recocta,
Feſta, ioci, choreæ, ludi poſtrema dolorum
Conciliant. Oculis formæ tàm grata venuſtas
Mox ætate perit: lautis benè viuere menſis,
Summi cauſa mali eſt: nec magno parta labore
Rerum cognitio prodeſt: nec opes, nec amici
Sorte ſua dominum contentum reddere poſſunt.
Nulla manet vitæ nobis diuturna voluptas,
Tempore quantumuis longo, cupidéque petita.
Quorſum igitur falſa noſmet ſpe ludimus, atque
Sectamur vanis fallacia gaudia terris?
Non hic vera quies, non pax, non otia: cælo
Gaudia certa bonis: ſedes ibi fata quietas
Conſtituêre piis hterno fœdere, quando
Exoſi ſcelus, ac impuræ crimina vitæ,
Concipiunt Diuos animo, & cæleſtia curant.
Sed quis terrenæ linquet contagia vitæ,
Quis lachrymarum vndis ſcelus eluet amati
Deſeret illecebras mundi, iuſſúmque ſequetur
Numinis, & genio vitam moderabitur æquo?
Non opis hoc noſtræ, non hæc vis addita limo
Iapetionidę, tua ni clementia noſtris

Conſiliis Pater occurrat, praeátque monendo.
Huc igitur, Pater, & læto me reſpice vultu,
Quo ſpectata tibi eſt quondam muliercula, vitæ
Delicias abolens pietate, piacula fletu.
Reſpice me, Petri quo tu periuria vultu
Spectaſti, & fidei violatæ crimine mæſtum,
Lugentémque tuo firmaſti numine. Nobis
Gratia par adſit, par nos clementia ſeruet,
Par bonitas noſtræ perimat mala nomina vitæ.
Mundanis animos curis abducito noſtros,
Spectemus tantùm cæleſtia. Da mihi fortem
Rebus in afflictis animum: da relligione,
Spe, pietate humilem tibi me demittere: firma
Da ſeruire fide. Tua me ſapientia vitæ
Seruet inoffenſam maculis. Mihi conſcia veri
Simplicitas, animi candor, mihi dulcis in omnes
Adſit amor. Caſta mihi da perſiſtere mente:
Flagitij purum caſto tibi corpus amore
Seruiat: obſequij faciliùs ſubeat iuga ceruix.
Curam age, ne vitæ rapiat me deuius error,
Imbuat at falſo peruerſam dogmate mentem.
Relligionis opes auge, cætúmque piorum:
Ac tueare fidem, qua nos Eccleſia natos
Excepit: tutum nobis hoc ſemper aſylum,
Ne tumidæ faſtu mentes, ne pectora veri
Neſcia, nos Erebi iungant pallentibus vmbris.
Adſiſtat dexter genius mihi: carmina laudum,
vota tibi, lachrymaſque meas, ſuſpiria tradat,
Commendetque throno ſuperùm: diuinaque mecum
Pneumatos aura tui ſpiret, dùm munere lucis

Perfruar. At quando vinclis, & mole ſolutam
Corporis, æthereā tua me reuocabit in aulam
Maieſtas, animum ſubeat clementia dudum
Certa mihi, bonitáſque malis tua cognita noſtris.
Illa ſit vna mihi ſpes, præſidiúmque ſalutis,
Mors tua, Christe, mei cordis penetralibus imis
Scripta, vicem meriti præſtet. Ne deſere ſontem
Hanc animam: greſſus recto mihi tramite firma,
Vt teneam ſuperas fatis vrgentibus auras.

Eadem Latine.

Non ſanguis hirci, nón vituli, ſacris
Effuſus aris, thuráve cœlites
Poſſunt minaces mitigare.
Fert animus placuiſſe Diuis?
Mortale charum fac habeas genus:
Æterna Diuûm numina ſpe cole,
Fidéque: laude ſempiterna
Æthereas reuerere ſedes.
Non vlla cœlo gratior hoſtia
Sancto receſſu pectoris, & prece
Conſtante rectum poſtulantis,
Corporis integritate caſti.
His noſtra, ſolus qui potes omnia,
Munire ſanctis pectora dotibus
Digneris, vt ſemper futuris
Te ſapiam, celebrémque ſæclis.

MARIA STEVARTA.

VERITAS ARMATA.

ANIMI TRANQVILLI MVNIMENTVM, ET PRÆSERVATIO,

LIBER ALTER.

Omnis gloria filiæ Regis abintus. PSAL. 44.

IN ILLÆ PIISSIMI DAVIDIS Regis verba, ex hymno nuptiali deprompta, Omnis gloria filiæ Regis ab intus, metaphraſtica alluſio.

Ad Sereniſſ. Principem D. Mariam Scotorum Reginam.

Regium ſceptrum, diadema ferre,
Purpura ornari decet æquè Regem:
At decus fulgens, honor & perennis
Regis ab intus.
Murice ac auro benè texta veſtis,
Principum celſis humeris amicta
Splendet: at non vt pia mens refulget
Regis ab intus.
Fimbria gemmis rutilant opertæ,
Indicis picti & digiti lapillis:
Pulchrior longè eſt animoſa virtus
Regis ab intus.
Intus eſt cor, quod Deus intuetur:
Intus eſt, quod punit, amat, coronat:
Intus exultat pietas, fideſque
Regis ab intus.
Sperne, Regina, hæc lutulenta quæque:
Conſciam recti pietate mentem
Indue: hanc ſerua, hanc cole, læta viues
Semper ab intus.
Et metu triſti procul & pauore,
Tu tui curam Domino relinque:
Is tuos greſſus reget, is foris ſolatur, & intus.
I. E. R.

SERENISSIMÆ PRINCIPI, NON MINVS REGIIS VIRtutibus quam titulis ornatæ, D. Mariç, Scotorum Reginæ, Dominç ſuç benigniſſimç, Iohannes Leſleus, Epiſcopus Roſſenſis, illius ſubditus, & apud Anglos orator, obſequium ſuum qua poteſt ſubmiſſione ac reuerentia, defert.

SI quid in me vnquam fuit ingenij, Sereniſſima Regina, ſi qua in rebus gerendis exercitatio, ſi quòd pium in Rem pub. ſtudium (quo mihi nihil vnquam fuit antiquius) id omne Majeſtas T. tùm ob verè regias animi tui dotes, tùm ob tuam erga me munificentiam, optimo ſemper iure ſibi vendicare poteſt. At verò nunc cùm fidem meam atque in negotiis tuis promouendis induſtriã probari, & mea qualiacumque ſcripta (pias illas conſolationes dico diuinaque afflicti animi remedia, quæ ad mentis tuæ ſolatium, angoreſque depellendos in ipſo carcere ædideram) ex humaniſſimis tuis literis à Serenitate tua libenter legi intellexerim, promptior multò mihi redditur animus, quàm verbis explicari poſſit. Etenim ex horum altero ſummam tuam cognoui prudentiam, quæ non ex negotiorum euentis (quæ ſem-

per incerta ſunt, & à ſolius Dei Opt. Max. nutu dependent) ſed ex ratione conſilia hominum ponderare ſolet: Ex altero non modicam ſanè, fateor, voluptatem accepi, vnde animus ad alia meditandum excitatur, quæ tuo vſui verbis ſaltem, cùm factis non liceat, aliqua ratione inſeruire valeant. Quod ad primum attinet, voluntatis propenſionem meæ, & obſequendi deſiderium ex multis retrò argumentis ſatis Prudentiæ T. perſpectum eſſe arbitror. Neque verò inde mihi quicquam arrogo, ſed potius agnoſco, non modò debitam optimæ meæ Principi fidem & beneuolentiam, verum etiam Reip. noſtræ ſalutem, pacem & tranquillitatem, nec non & mearum rerum priuatarum incolumitatem à proſpero rerum tuarum ſtatu pendere. Itaque omnia mea ſtudia, omnem operam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in rebus illis promouendis iure optimo collocaui, atque defixi. Statui enim in his, vt par eſt, non officij ſolum fructum, ſed & in patriam pietatis laudem quærere. Et certè nulli mortalium (abſit verbo inuidia) ſalutem ac fortunas ſuas maiori fuiſſe curæ vnquã puto quàm mihi fuit Sereniſſimæ meæ Principis atque Reip. noſtræ quies & tranquillitas. Et quanquàm fruſtrà ſuſcepti videri poſſunt labores, quòd Celſitudinem T. in patriam reuocare non potuerim: tamen, quod penes me fuit, vti ſumma mentis propenſione alacritateque præſtiti, ita præſtandi quoque reliqua, ſi licuiſſet, opinor neminem eſſe, qui ſuſpicetur mihi animum defuiſſe. Atque vtinam contigiſſet, vt rebus omnibus in tuo regno pacatis, cunctiſque nobilibus, cæteriſque ditioni tuæ ſubditis, in vnita-

Nõ ex euẽtu, ſed ex ratione cõſilia hominũ ponderãda.

te fidei,amabili concordia, promptaque in tuam obedientiam voluntate coaleſcentibus, mutuoque animorum inter ſe conſenſu iuſtitiam & pacem colentibus, T. Maieſtas aui to tuo ſceptro, ſumma omnium gratulatione, vel ea lege reſtituta fuiſſet, vt ego pro communi omnium ſalute, vti victima morti deuota, vel præſidio firmiſſimo tota hac vita clauſus detinerer, vel iampridem vitam cum morte communaſſem. Huius rei ergò ſponte & lubens animulam hãc meam cuiuis carnificinæ tradere non recuſarem. Illa enim quin ſic accepta eſſet clementiſſimo Deo, nihil timerem, cùm & D. Paulus anathema fieri pro fratribus & genere ſuo cuperet, & Moyſes deleri de libro vitæ, niſi ſalus fieret Iſraëli. Neque enim aliò quam ad verã ipſius Dei gloriam, communẽque pacem, omnes mei conatus tenderent. Neque etiam ſua laude apud homines mors huiuſmodi careret: cùm dulce admodum ſit generoſo animo, neque minus decorum, pro patria mori, illique vt communi parenti nos totos dare. Illi omnia noſtra quaſi conſecrare debemus: quam imprimis ſaluam eſſe, quiſquis bonus eſt, ſummopere expetit. Hinc factũ eſt, vt maiores noſtri eos, qui ob Remp. mortem magnanimiter obiiſſent, pro breui vita memoria donarent ſempiterna. Verum de his alibi aptior erit dicendi locus. Proinde ad alteram inſtituti mei partem properandum eſſe cenſeo, vt per literas, quod præſens nõ potui animũ in te meũ pietatis & obſeruantiæ pleniſſimum (quod hominis obſequentiſſimi & Maieſt. T. deditiſſimi officium eſt) noua aliqua ſignificatione declararem, & ſolito me continerem obſequio. Nec dubito, quin eadem humani-

Boni viri munus eſt nullum recuſare periculum pro repub.

tate voluptateque, qua opuſculum illud meum legere (vti ſcribis) dignata es, has quoque literas meas ſis acceptura. In illo enim, vbi de curandis iis omnibus, qui animi premuntur ægritudine, ac de diuinis remediis agitur, nonnullis inſuauius videri ſolet. Durum profectò eſt animali homini audire de ſui agnitione, & multo magis de abnegatione ſui, de ieiunio, abſtinentia, precibus aſsiduis, eleemoſina facienda, diuitiarum, honorum, terrenæ gloriæ, & mortis denique contemptu, deque aliis id genus acerbis (vt putauit) pharmacis, quantumuis his remediis angores atque moleſtiæ, leuari, purgari, tollique poßint, animuſque ad veram tranquillitatem reduci. Quæ cùm omnia Excellentiæ T. quæ es ſolida pietate, arriderent, nihil dubito, quin quæ iam mitto, arridebunt magis. Nunc certè, cùm non ſatis ſit animi morbum ſemel depellere atque fugare, ſed etiam ne aliquando redeat, aut ægrum quouis modo deinceps grauet, prouidere decreui: ſicut & boni ac fideles medici ſolent & victus rationem addere, & alia, quæ ad rectæ valetudinis tuendæ regimen ſpectant, recreatis ac ſanitati reſtitutis præſcribere nõnulla, quæ ad tuendam hanc animi tui pacem, conſtantiam, & εὐθυμίαν vt vocabat democritus, maximè opportuna videntur: eaque talia, quæ præcipuum ſtatus præſidium, atque ampliſsimæ dignitatis tuæ ornamentum reſpiciunt. Et quoniam eiuſmodi ſunt, quæ in præſentia mihi libris propè deſtituto in mentem veniunt, volui amplit. T. communicato tecum hiſce ſcriptis conſilio ea offerre, vnde opiparum ac verè regium conabor apparare conuiuium, & conquiſitiſsimas tuis menſis dapes appo-

nere, dulciſsimique nutrimentí cibos, potuſque ſaluberrimos: quibus tanquam ſobriis, luxuque carentibus delicîis, animum, mentem, ſpiritũque tuum indies exhilarare, reficere, ac probè munire poteris. Quæ ſanè non minus vtilia quam iucũda, vti ſpero, adferent ſolatia, ita vt dira mentis venena pellere, & ingentem ſimul poſſunt adferre lætitiam. Horũ etenim modica delibatio (vt ingenuè fatear) ita meũ ob omni ſolicitudine abduxit animum, vt (tametſi ego ipſe magis videar aliorum cõſolatione indigere quàm aliis officiũ aliquod hac in re præſtare poſſe) nũc nubibus illis mœroris ac moleſtiæ depulſis, ſpretiſq; humanis caſibus (quod ſolet eſſe nõ difficillimũ iis, qui in ſummo Deo ſpes ſuas fix erunt) portum, meo ſaltem iudicio, tutiſsimũ ſum nactus, cũ ad ſerenitatẽ animi, atque conſtãtiam me contulerim, rerum omnium iacturã cum gaudio ſuſcipiens. Quocirca (Princeps ornatiſsima) omnibus mei muneris partibus, vti par eſt, ſatisfacere cupiẽs, vix poſſum me continere, quin & hæc ad T. Maieſt. ſcribã. Spero equidem, ex me ipſo coniecturã capiẽs, hæc cuiuſuis mentẽ variis cogitationum vndis & curarum fluctibus agitatam conſolatura, & tandem ſuæ dignitati et paci libro ſuperiore quaſi σωστικῶ, vt vocant, medicamento redditam, contra omnes aduerſæ fortunæ ventos in poſterum tempus, Dei gratia, quaſi κωλυστικῶ, præmunitura. Nec verò hæc in eam ſententiam dicta ſunt, quòd ea te fugere exiſtimem, cùm certò ſciam quanta ſis prudentia & grauitate prædita: ſed quod forſitan dolore impeditus animus, recidiuſque cogitationibus, vti febriũ ſcin-

ſtillis & reliquiis nonnunquam agitatus, minus ea perſpiciat. Et quanquã ingenij mei vires ſuperat, accuratæ orationis aliqua vehementia curas omnes, quæ laborantibus & animis quamlibet obſtinatè reluctantibus irruere ſolent ſublcuare: conſilium tamen voluntatémque meam ſummæ tuæ ſapientiæ probatum iri certò ſcio, quòd nullum fidei, nullum ſtudij, nullum pietatis officium, quoad facere poſſum, Maieſt. T. etiam ſi minus fortè neceſſarium ſit, deeſſe voluerim. Summi namque Principes non tam muneris oblati dignitatem, quam offerentis animum ſolent expendere. Quoniam itaque hæ meæ qualeſcunque lucubrationes pro pio erga Amplit. T. animo ſunt congeſtæ cùm alia ratione meæ voluntatis, obſeruantiæ & amoris teſtimonium dare iam non poßim, oro & obſecro, vt eas in rem tuam ſcriptas hilari & exporrecta fronte accipias, legas, & eiſdẽ pro ſumma Amplitudinis T. erga tuos humanitate fruaris. Quòd certè facies (ſcio) libentiſſimè, ſi qualis ſit in te animus, ex quo hæc omnia depromentur, tecum aliquando perpenderis. Deus Opt. Max. T. Maieſt. plurimos in annos ſoſpitem & incolumem conſeruet, ac tueatur. Ex caſtro fernamo. Non. Iulij, anno Domini 1573.

Maieſt. T. addictiſſimus ſeruus, & Orator,

Io. Epiſc. Roſſen.

AVTHORIS ERGA SVAM *Principem fides & integritas, & in quem finem hunc librum ſcripſerit.*

CAP. I.

Vetus curãdi mos apud Scotos.

Hect. Boëtius hiſt. Scot. lib. 2.

VETVS apud maiores noſtros inoleuit mos, Illuſtriſſima prĩceps, ac Regina Sereniſſi. quę ab Ægyptiis gẽte ſapiẽtiſſima (à qua per nobiliſſimam illam fœminam Scotam, Pharaonis filiam, originem ipſi duximus, noménque retinemus) ad nos demanaſſe, & per multa ſecula obſeruatum legimus, vt quoniam complures aut vulnere ſaucios, aut morbo correptos medicorum inſcitia perire conſtat, certis ideò medicæ artis profeſſoribus haudquaquam vterentur: ſed morbo languentes in forum, aut in ſtrata publica efferrent, vt qui eos viſerent, conſilio iuuarent, hortarentúrque ad ea remedia, quibus aut ipſimet, aut ipſorum amici ac familiares vſi, ſimilem effugiſſent morbum: deinde docerent, quibus rationibus ſanitatem ſemel receptam conſeruare, tuerique poſſent. Nefas enim erat,

quenquam ægrotum publico grabato affixum & iacentem ſilentio præterire. Neque imprudenter ſanè, mea opinione, cenſuerũt veteres illi, medicinæ profeſſorum neminẽ tam exactè de morbi cauſis & origine, eiúſque remediis diiudicare poſſe, aut tam ſincerè velle infirmis ex animo compati, aut, quæ prodeſſe poſſent, tam ſedulò fideliterq; adminiſtrare, atque eum, qui in ſuo ipſius corpore ea omnia fuiſſet expertus. Tum ſi quando in hominem ſanguinis vinculo, aut quauis alia neceſſitudine ægro charmu incidiſſent, qui ſimili olim laboraſſet morbo, eius præ cæteris omnibus conſilium, vti Apollinis, aut Æſculapij cuiuſpiam oraculũ, amplectebantur. Hanc certè ægros curandi methodum atque rationem, diuturna populi cõſuetudine approbatam, à maioribus noſtris quaſi per manus traditam, ab vniuerſis ferè noſtræ regionis indigenis, tam in animi quam in corporis morbis depellendis, etiam noſtra ætate ſeruari videmus. Vnde fit, vt fit, vt cùm rariſſimus ſit apud nos medicamentorum vſus, nec minus raræ medicorum artes & opera, nuſquam tamen ſalubriùs viuatur, nuſquam longior ætas, aut diuturnior: raræ peſtes læthiferę, aut pernicioſè graſſantes morbi. Tanta namque eſt illius veteris ritus, qui a ſumma pietate, & in ſuos amore proficiſci videtur, obſeruantia, vt ſtatim ac quemuis ex ſuis corpore lã-

guentem, bonorúmve naufragio, aut quouis alio mentis dolore preſſum agnouerint, omnes ad ægrum conſolandi gratia aduolēt, non ſolum qui vicinos accolunt agros, verum etiam quicunque ex eadem familia, tribu, ſtirpe ſunt, aut nomine: aut qui munificentiæ, aut liberalitatis quid vnquam ab eo acceperunt. Tunc ad ægri conſolationē, quod è re fore arbitrantur, ſinguli pro virili in medium proferunt: ita demum, qui inter omnes prudentia cæteris maximè pollent, ac potiſſimum hi, qui ipſi ęgro ſunt neceſſarij, de ſingulorum iudiciis ſententiam ferunt. Inde omni mora & cunctatione ſepoſita, quę vtilia vidētur & ſalutaria remedia, vti fuerat deliberatum, preparant, non quidem ab Arabia, India, aut exteris regionibus longiſſimè conquiſita, ſed ex his, quę ipſa fert regio ſępiſſimè, & quę domi nata ſunt, potiones parant, emplaſtra admouēt atque malagmata. Atque ita fit, vt his rationibus vix quiſquam ſit (modò non lethaliter affectus) qui non priſtinam recuperet valetudinem, recuperatam pari conſilio in longam vſque ſenectam tueatur ac conſeruet.

Huius equidem piæ conſuetudinis à priſcis noſtrę gentis moribus acceptę (inuicti animi Regina) memor, nolui in graui iſta mētis tuę ęgritudine, tametſi inter tuos minimus, officio deeſſe meo: qui licet pœoniū aliquod remedium adferre forſan nequiue-

rim, attuli tamen, quas potui, cõſolationes, pias ſaltem, & è ſincero animo profectas, quamuis non magno artificio elaboratas. Quę vtinam ſint maieſt. T. tam ſalutares, quam olim fideliſſimi illius medici Philippi pharmacum potentiſſimo Monarchę Alexandro Macedonum Regi, Domino ſuo, grauiſſimè laboranti exhibitum: quod cùm abſque omni difficentia & ſcrupulo ebibiſſet, indéque priſtinę reſtitutus fuiſſet valetudini, hic optimi Principis, ille fideliſſimi miniſtri ęgregium poſteritati reliquit exemplum. Nam cùm in expeditione contra Darium, Perſarum Regem, orbis ille domitor Alexander, in acerbam incidiſſet ęgritudinem, fidus iſte medicus ſaluberrimam præparauit potionem, quam Domino ſuo ad tollendam morbi moleſtiam propinaret. Contigit tamen fideli medico, quod illius virtutis hominibus vſu venire ſolet. Tanta etenim ſemper eſt impiorum hominum in omni ęuo malitia, vt nunquam deſinant fidelium ac proborum honori, famę & exiſtimationi detrahere. Huiuſmodi hominum dolis ac fraudibus effectum eſt, vt priuſquã Philippus cum pharmaco ſuo in Regis cõſpectum admitteretur, literę aſſentatorum technis ad Alexandrum perlatę ſint, quibus ſignificabatur Philippum auro à Dario Rege accepto corruptum, venenum, vt eum è medio tolleret, admiſcuiſſe. Rex verò lectas

Optimi prĩcipis & fideliſſimi miniſtri mutua fides.

Q. Curtius lib. 3.

in ſinu ſuo litteras ſecretè recondidit, & epoto fideliter pharmaco, medico ſuo eaſdẽ tradidit, quibus dignoſcere poſſet, quantam in eius integritate repoſuiſſet fiduciã. Hinc ſanè optimi ac ſapientiſſimi Monarchæ piũ, ac verè Principe dignum animum erga ſeruum ſuum perſpicere licet: & rurſum huius medici ſedulam curam, fidem & induſtriã, ad Domini ſui ſalutem omnibus modis protegendam. Neque tamen aſſenatorum, qui bonis ſemper inuident & inſidiantur, in hoc facinore negligenda eſt, & non penitus obſeruanda calliditas & malitia: qui ne hoc noſtro quidem ſæculo vſpiam terrarum deſiſtunt ipſius Philippi diſcipulis inſidiari, etiamſi nihil nocere poſſint iis, qui animo pio, mentéque ſincera in Principis, aliorúmve ſalutem, omnes neruos cõtendunt. Quocirca vt magnificum ac verè regium clariſſimi illius Monarchæ animũ ac mores probè es imitata, ſalubri nẽpè illo epoto, quod curandis tuis doloribus propinaueram, medicamento, vnde tuus iam animus colligere ſeſe, & priſtinæ ſerenitati (Deo gloria) reſtitui videtur, atque conſtantię: ita non minus illius fideliſſimi medici Philippi partes, quoad per me fieri licebit, obire conabor, ſumma ſemper & vbique fide & integritate ſedulam adhibiturus curam, & quam potero, induſtriam, ad conſeruandam animi tui tranquillitatem, ſincerúmque illum, quem

iam

iam tibi eſſe intelligo, mẽtis ſtatum, ne quibuſuis agitata procellis, rurſus ægritudine iactetur. Neque verò vt parta ſanitas retineatur, acerba, & quæ naturæ aduerſa vidẽtur antidota, adhibenda cenſeo: verùm ſuauiſſima quædam potiùs alimẽta, quibus nõ modò optimi quíq; Principes oblectare ſe deberent, ſed & nos quoque inferioris ordinis homines in leniendis ægritudinibus nõ ſine magno fructu vtimur. Vt enim illa naturæ inimica ad morbum duntaxat depellẽdum neceſſaria ſunt, ita & hæc ad tutãdam ſanitatem ſunt aptiſſima. Bonum namque & fidelẽ decet medicũ cuncta tentare priùs, quam aliquid lãguenti porrigat. Quis enim inter medicos omnes maius ſuæ fidei & integritatis teſtimonium dare poterit, quam ſi non extremis tantùm labiis, vti moris eſt, quod ægrotanti propinat, delibauerit, ſed & tantumdem pondere, numero, & menſura priùs ipſe hauſerit, abſorpſerit, & digeſſerit? Sed de his aliàs fuſiùs.

Ad corporis ægroti curã medicamenta ſunt neceſſaria: ſed ad ſanitatem tuendam cibus potúſque aptiſſimi.

Principi ſuæ gratulatur ob animi tranquillitatem, & quibus modis eadem conſeruari poſſit, edocet. CAP. II.

NVnc itaque rem ipſam aggrediens, nõ, vt anteà, mœſtitiam tuam lenire verbis, verùm imprimis conſtantiæ tuæ, animíque virtuti toto pectore gratulari incipiam:

ita enim rerum ardo atque neceſſitas exigit. Cùm enim tot & tam duris aduerſæ fortunę telis, tam atrocibus moleſtiarum aculeis, tantis denique malorum vndique graſſantium procellis (qualęs nullus Principum alius hac noſtra ætate pertulit) Excellentiam T. attritam eſſe, ac ferè ſuccubuiſſe arbitraremur, ecce lætiſſima nuntia nobis adferuntur. Nihil (inquiunt) Sereniſſimam & inuicti animi Reginam tot tantáque irruentia vndique malorum agmina (iuſtiſſimæ ſanè dolorum cauſæ) de cōſtãtia deiiciunt, quo minus, quoties in conſpectum hominum prodeũdi ipſi datur facultas, ea omnia, quæ magnanimi Principis fortitudinem & conſtantiam declarãt, inſigniter præ ſe ferat: ídque maximè inter colloquia cum aliorum Principum legatis nunciiſve, aut in grauiſſimis reſponſis, dum de rebus periculoſiſſimis, vel etiam de ſuo ipſius ſtatu, ac vita diſceptatur. Neque minus elucet (inquiunt) ea rara & verè regia animi magnitudo in ipſius literis prudentia grauitatéque pleniſſimis: nec quicquam contra decorum, aut quod non fortem deceat, & excelſi animi principem, reſpondet, ſcribit, aut facit. Talẽ ſe denique omnibus in rebus præſtat, voce, vultu, ſermonis animíque conſtantia, vt mirẽtur cuncti, & alius alium percõtetur, quonam tela illa, quæ tam validè immiſſa in tuũ pectus à fortuna videbantur, iam abierint.

Corpus quidẽ nonnunquã languidũ cernebatur, animo tamẽ forti & erecto voces verè regias,& magno Principe dignas ędebas.

Sed profectò res ita ſe habet, vt nullum ſit munimentum nec animi,nec corporis vna ſapientia præſtantius, nihil optabilius, nihil homine dignius. Hæc & mœſtitiam pellit ex animis, & exhorreſcere metu non ſinit:Hæc à formidinum terrore vindicat,& ſæuientis fortunæ ſæpè iniquiſſimas modeſtè ferre docet iniurias, monſtrátque vias omnes, quæ ad quietem & tranquillitatem ducunt: Hæc denique eſt hominis cuſtos & gubernatrix. Quid? quòd ſapientis animus magnitudine conſilij, rerum humanarum tolerantia, contemptu fortunæ,virtutibus denique omnibus, vt mœnibus quibuſdam ſeptus, vinci & expugnari non poteſt. Huius proprium eſt, quicquid homini accidere poſſit, præmeditari, & moderatè, ſi quid aduerſi euenerit, ferre: quippè qui ſemper animo ſic excubat,vt ei nihil improuiſum,nihil inopinatum, nihil omninò nouum contingere valeat: & ita in omnes partes aciem intendit,vt ſemper videant locum ſibi quietè & ſine moleſtia viuendi, vt quẽcunq; caſum fortuna aduexerit, hunc fortiter ſuſtineat. Iſtuc ſanè eſt ſapere, vt inquit Comicus, non, quod antè pedes eſt, videre,ſed illa,quę futura ſunt,proſpicere. Quiſquis enim moderatione & conſtãtia pollet, *Sapientiæ munus proprium, & quid ſapere.*

quietus animo ſit oportet, ſibíque ipſi adeò placatus, vt neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore: nihil peregrinum eſſe exiſtimet, niſi quod cum vitiis ſit cuniunctum. Tali quidem ſapientia cùm Maieſtas T. Dei Opt. Max. munere, cõſiliorum actionúmq; ſuarum omnium ſocia & adiutrice ſit vſa, nihil eſt quòd vereamur, ne hiſce vulneribus atque moleſtiis (etiamſi grauiores eſſent) cedat atque ſuccumbat.

Munimentum animi præſtantiſſimum pietas, vbi quæ ſit vera religio, illiúſque fructus & vtilitas, authoris ſententia, & fidei confeſſio.

CAP. III.

QVòd ſi tamẽ fortè (quæ eſt naturæ noſtræ infirmitas, & humanarum rerum varietas) hæc mala pluſculum temporis durent, & pertinaciter animum tuum lancinare non deſinant: ſit, quæſo, huic ſapientiæ, quę hominũ tibi beneuolentiam & amorem conciliat, Pietas, qua Deum omnis boni fontem & authorem tibi propitium reddere poteris, coniuncta. Hæc etenim omnium virtutum fundamentum, veræque religionis prora quaſi & puppis, cum in animis noſtris verſatur, nos Deum vereri, amare, atque (vti decet) colere, & ab illo ſolo pendére, & diuinis rebus operam dare iubet: quæ vt Deo maximè grata, ita omnibus

bonis maximè ſalutaris eſt: de qua verè canit ille,

Nulla vis maior pietate vera eſt. *Seneca, Thyeſt.*

– O Maxima rerum, *Virgil. in Aetna.*

Et alius,

Et meritò pietas homini tutiſſima virtus.

Vt autem intelligas in tanta ſectarum, & de vera religione diſſentiẽtium opinionum varietate, ecquod ego Maieſt. Tuæ pietatis genus amplectẽdum eſſe cenſeam, ſic habeto. M. Tullius lib. De legibus 2. ait ab Athenienſibus olim conſultũ fuiſſe Apollinẽ Pythiũ, quas potiſſimũ religiones tenerent: (nã tunc tẽporis, vt credi par eſt, varia ſuperſtitionum genera in Remp. irrepſerãt:) oraculum autem æditum fuiſſe, eas quæ eſſent in more maiorũ. Et profectò ita eſt, vt pręſertim hac in re id optimum ſit, quod eſt antiquiſſimum. Antiquitas enim proximè accedit ad Deos, vt idem Cicero teſtatur. Tibi ego igitur, Princeps Illuſtriſſi. eum Dei colendi ritum ſuadeo (D. Hieronymi authoritate admonitus,) in quo nata & educata es, quem maiores tui optimi Principes, & pietatis amantiſſimi, conſtanter ſeculi ſunt, ab ipſo Chriſto & Apoſtolis traditũ, quo nihil nec meliùs eſt, nec antiquius. Ne verò antiquiſſimam religionẽ hîc interpreteris, quam ante Virginis partum gẽtes antiquæ, Græci, Romani, & alij vario errore ſibi ex arbitratu ſuo & libidine confinxerunt: ſed *Quæ religio vera ſit.*

quæ cum humano genere cœpta, profecta à Chriſto, per ſanctiſſimos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, ab origine mundi in hũc vſque diem in fidelium hominum cœtu cõtinuata eſt. Hanc religionem ante ſeruatoris aduẽtum Abrahannus, Iſaacus, & Iacobus, aliíq; Iudices, Reges, Patriarchæ, Prophetæ, & optimi quique gẽtis Iſraëliticæ coluerunt. Hanc poſt natum Chriſtum, ab ipſo Chriſto traditam atque præſcriptam maiores noſtros docuerunt Apoſtoli. Hanc ab Apoſtolis acceptã, ab inuictis martyribus ſanguinis ſui effuſione cõfirmatã, perpetua ſanctorũ Pontificum in Eccleſia Romana ſucceſſione retẽtam ac ſeruatam, Patres noſtri, longo interuallo, religionis ſtudio nobis ſuperiores, veluti per manus traditã, in perpetuum tempus duraturã, nobis reliquerunt. Nũc, opinor, intelligis, quam ego religionẽ verã eſſe ſentiã, Apoſtolicam, nimirùm Catholicam, & Romanam, id eſt, quam à morte Chriſti Romana ſemper profeſſa eſt Eccleſia. Hãc diuini cultus rationẽ maiores tui Scotię Reges potẽtiſſimi, nõ tam regni propagandi, quã Chriſtianę pietatis ſtudioſi, ad extremũ vſq; ſpiritum conſtãtiſſimè defenderunt. Hoc Dei colendi ritu pater tuus (cuius fœlix fauſtáq; ſit memoria) religionis amãtiſſimus ac pietatis, populũ diuina benignitate ſibi cõmiſſum religioſè ac piè regẽdum curauit: in hoc te naſci voluit, inſtitui,

ac educari. Quid enim? An non pater filiis notam faciet veritatem tuam, Domine? quis liberis meliùs cõſultum volet, quàm pater? E diuerſò, an ab iis verũ Dei cultũ, an ab iis religionem & pietatem expectes, qui damnata maiorum vita, qui contempta ſanctorũ Patrum auctoritate, qui ſacris etiam libris, & ab Eccleſia Catholica ſuadente Spiritu ſancto probatis: qui maioribus noſtris, quorum integritas, iuſtitia, pietas, fides, rerũ miraculis innotuit orbi vniuerſo, poſthabitis & penitus reiectis, ſua ipſi commenta, ſuas opiniones, & nudiuſtertiùs excogitata dogmata, religionis & Euangelij prętextu ac nomine vendicare non dubitarunt? Abſit verò, vt huiuſmodi hominum priuata conſilia, religionis fuco tecta, piis maiorum documentis, & certę iam exploratęq́ue veritati præpolleant. Olim pietatis ac religionis magnifico ſplendidóque vocabulo ſimplex vulgus capiebatur. Indè detectus eſt ille fucus, & machinationes omnes ac technæ in apricum prodierunt: vt ſi quis in poſterum tẽpus à vera & Apoſtolica deficiat Eccleſia, vel ſi ad eam non redierint, qui iam olim ad hoſtes transfugerunt, ij certè nemini videbuntur ſimplicitate quadam mentis vel errore lapſi, ſed de induſtria, certóque cõſilio, malitioſè pietatem omnem auerſari, vel ambitione, vel peccandi licentia, vel pecunia, vel vindicta, vel libidinis ſtudio concitati.

Veræ religionis fructus, item & falsæ.

Arbor bona fructus producit bonos: vera religio vitæ ſanctitatem, integritatem morum, animi candorem, & manſuetudinem in omnes, fidem erga Principes, magiſtratibus obedientiam profitetur. Sed qui his annis aliquot à vera deſciuerũt Eccleſia, quos fructus ediderunt? Norunt ipſi: aliorum iudicium non requiro: ſua enim ſatis damnati ſunt conſcientia.

Non poſſunt ignorare, quàm falſo religionis & Euangelij nomine ſe iactitent, qui vel patriam hoſtibus prodũt, vel aduerſus Principes rebellionem moliuntur, vel bonis & iuſtis magiſtratibus inſidiãtur, vel ambitione, vel auaritia, vel libidine æſtuantes, ciuilis & humanæ ſocietatis harmoniam clandeſtinis conſiliis, & occulta cõiuratione temerè diſſoluũt. Spiritus vbi vult, ſpirat. Verbo ac ſpiritu Dei non ſeditionibus, non armis, nõ rebellione, non contemptu magiſtratuum, id eſt, ordinationis diuinæ, tuenda eſt ac propagãda Chriſtiana religio. Sed quid mirum, ſi eiuſmodi homines cum aduerſariis ſuæ religionis pacem & quietem alere non poſſunt, cùm inter ipſos de præcipuis fidei capitibus, atque adeò de tota propè religionis ſubſtantia, maxima ſit & opinionum, & animorũ diſſenſio? Venit mihi nunc in mẽtem, quod de robuſtiſſimo illo gentis Hebraicæ duce Samſone ſacra commemorat hiſtoria. Ille vulpes magno numero colligatas cau-

Sectarij inter ſe diſſecti.

dis,capitibus diuiſas,in Philiſtæorum agros immiſit. Huius ducis vulpibus æquiparãdi videntur recentes Euangeliſtæ noſtri, & ἀνατόστολοι iſti apoſtoli, qui cum inter ſe maximè diffentiant,tamen eodem contendunt, vt veram & Apoſtolicam doctrinã euertant, quã à maioribus acceptã Catholica & Orthodoxa tenet Eccleſia: quæ ſemper eadem, ſemper vna eſt, non vt hæreticorum factiones & conuenticula,variis opinionum erroribus,non ſciſmatis, non quotidianis altercationibus & rixis à ſe diuulſa, & in multiplices partes ignominioſe diſtracta.Hæc requies mea in ſeculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.Hæc eſt Arca Noë,extra quam non eſt ſalus:hęc domus eſt,extra quã non eſt manducandus agnus. Qui cum hac non colligit,diſpergit.

Ab hac partim minis me deterrere conãtur nonnulli eius hoſtes, partim illecebris & blandimentis alienare atque diſtrahere, partim etiam ſuadere,vt T.Maieſtati auctor eſſe velim huius Eccleſiæ deſerendæ.Abſit à me tantum nefas.Ego verò ſynceram, piam, ſanctam, auitam cõſcientię meę probatam, ſui denique ſimilem, & vnam, vel prece vel precario reiiciam?Ego Principi meæ, damnatæ factionis & peruerſi cõſilij auctor exiſtam?Dij tantum prohibete nefas.

Hoc ego ſi ſalua cõſcientia facere poſſem, iãdudum feciſſem lubentiſſimè, neque car-

cerem, vincula, mortis minas, bonorũ iacturam exilium denique, & extrema quæque ſubiiſſem: neque ipſe tantùm nouum iſtud religionis genus quam primum amplexus fuiſſem, ſed & tibi, cui optimè conſultum velle debeo, & aliis omnibus, vt meo inſtituto idem facerent, auctor extitiſſem.

Dij te tuentur, Diis pietas tua, fidéſque cordi eſt.

Sed cùm meum me iudicium, cùm ipſa cõſcientia mutare prohibeat, idem tuę Maieſt. perſuaſum eſſe cupio, vt quandiu tibi huius lucis vſura concedetur, in maiorum tuorũ religione ac fide perſiſtas, nec regni, nec rerum iactura terreare, quominus auito & ſancto ritu Deum colas. Merces tua copioſa eſt in cœlis: beata es, ſi perſeueres, & bonorum omnium in hac vita naufragium patiare. Semper animum tuum ſubeat, quod veriſſimè ſimul & elegantiſſimè de magni & excelſi animi inuicto robore atque conſtantia ſcripſit Horat.

Horat. od. 2 lib. 3.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via,
Cœtúſque vulgares, & vdam
Spernit humum fugiente penna.

Hæc eſt conſtantis animi virtus, vt omnia humana ſua dignitate inferiora eſſe putet.

Crede mihi,ſi hac opinione vixeris, propitium habitura es numen. Non te fallo, Regina,nõ te fallo:perditiſſimus eſſem, ſi quid Maieſt.Tuæ,cui vitam &mea omnia debeo, ſuadere vellem, niſi quod meo iudicio tibi bonum futurum ſit ac ſalutare. Igitur fidem verbis adhibe:auctor is eſſe profectò nõ recuſarẽ,ſi admonitore indigeres,vt eam religionem ac doctrinã ſequare, quàm amplector & exoſculor ipſe lubentiſſimè, pro qua paratiſſimo animo mortem oppeterem: tantum abeſt,vt vincula, carcerem, bonorũ iacturam,exilium,aut aliud quidpiam diuexationis ac mali genus,quod humana crudelitas inuehere poteſt, eo nomine pertimeſcã. Verùm quia de his plurima,tùm ab antiquis Patribus,tum etiam à viris noſtræ ætatis nõ minus piis quàm eruditis conſcripta ſunt volumina,è quibus noui T.Maieſtatem nõnulla ſummo cum iudicio exquiſite perlegiſſe,in diiudicandis controuerſiis amplius inſudare in preſentia minimè duxi, ſed ad Catholicam Chriſti Eccleſiam,veritatis columnã,& fidei baſim, ſanctiſſimorum quoque ſcripta Patrum,tuam cenſeo remitti debere prudentiam.

Piorum Principum exitus ſemper fœlices, etſi interdum in medio curſu malis non careant. Spe igitur alenda eſt mens. CAP. IIII.

FAcies itaque prudenter, Regina Sereniſſima, ſi pietatem omnibus rebus,tam

quam eam, quę ſuis cultoribus certiſſima pollicetur præmia, antepones. Nam pietate Principes ſéper Deo fuiſſe chariſſimos, ac fœlici rerum ſuarum vſos ſucceſſu, & ſacræ & prophanæ teſtantur hiſtorię. Nemo enim vnquam fuit Principum, quem pietatis cura tetigit, cuius gubernatio non ſit fœlicem (quanquam interdum in medio curſu malis non caruit) conſequuta finem. Sic certè Dauidis, Solomonis, Ioſaphat, Ezechiæ, Ioſuę, Conſtãtini, Caroli magni, & aliorum bonorum Principum ſucceſſus & exitus fuerunt illis & Reipub. ſalutares. Perge igitur, Regina prudentiſſima, his virtutibus ornata: & eadem, quam in rebus omnibus adhibere ſoles, animi fortitudine, magnanimitate atque conſtantia fruere. Sic etenim maiores tui, qui regio apud noſtrates potiti ſunt ſceptro (ne externa longè petamus, ſed potius domeſtica, quæ magis moueant, exépla conſectemur) aduerſæ fortunę caſus reprimere, & interea ſpe gratiſſima, quæ nunquã etiã in mediis procellarũ fluctibus excidit, ſemetipſos alere conſueuerunt, Affatim habemus, Clariſſima Regina, pręter Romanos illos Horatiós, Fabios & Scipiones, etiam ex maioribus tuis, quos in omne virtutis exéplar facilè citare poſſemus. E quibus aliquot pij & boni Principes, poſt multas etiam, eaſque magnas calamitates, tandem à Deo mirabiliter ſount adiuti, ita vt è

mediis turbarum & periculorum vndis extracti,plurimùm denuò floruerunt, & fœlicem exitum ſunt conſequuti: Et imprimis vnus ille omniũ ante ſe Scotorum Regum nobiliſſimus,omniũque ętate ſua bello clariſſimus Caratacus,qui inuicti animi, fortitudinis,atque conſtantiæ inſigne poſteritati reliquit exemplum. Hic cùm totam vitæ rationem ad aſſeruandam in priſtina ſua libertate rem publicam contra Romanos, orbis penè dominos,direxiſſet, tandem nono anno poſteaquam eorum vim atque impetum varia ſorte ſuſtinuiſſet, fortunam ſuis rebus ſenſit adeò inimicam,vt profligato exercitu,fraude,& perfidia vnius,cui animam crediderat(vt vix quiſquam in aduerſis tutus eſſe poteſt) vinctus victoribus traditus,& Romam ad Cæſarem,cum cõiuge, filia & fratribus fuerit perductus. Verùm Caratacus ne in tali quidem fortuna gradu deiectus,neque aut vultu demiſſo, aut verbis miſericordiam requirens, vbi Cæſaris tribunali aſtitit, præſenti animo in hunc modum loquutus fertur: Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit,tanta rerum proſperarũ moderatio fuiſſet, amicus potius in hanc vrbẽ quã captiuus veniſſem. Neq; dedignatus eſſem claris maioribus ortus, pluribus gentibus imperitãs, fœdere pacẽ accipere.Preſens autẽ iſte ſtatus atque conditio, vt mihi informis & moleſta, ſic tibi Cæſar

Carataci Scot. Regis in aduerſis ſumma fortitudo.

Cornel. Tacitus lib. 12.

Polyd. virg. Angl. historia lib 2.

Hect. Boëtc lib.3.hiſt. Scotor.

per quàm eſt magnifica, habui equos, viros, arma, opes: quid mirúm, ſi hæc inuitus amiſi? Nam ſi vos omnibus imperitare vultis, omnes ſeruire neceſſe eſt. Si ſtatim atque in albionem Romana venerũt arma, me dediſſem, neque gloria tua, Cæſar, nec calamitas mea ſic inclaruiſſet mortalibus. Et ſi nunc de me capto vltimum ſumpſeris ſupplicium, ſtatim mei cum morte futura eſt obliuio. At ſi incolumem abire iuſſeris, Cæſareæ, Romanæque clementiæ perpetuum fuerit exemplum. His verbis Cæſar lenitus, Caratacum, eiuſque cõiugem, filiam, ac fratres vinculis eximi iuſſit: qui ſtatim relictis Romæ fratrum natu maiore & filia, futuræ amicitiæ, atque fidei Cæſari, Senatui, populoque ſeruandæ, obſidibus, permittente Cæſare in Scotiam eſt reuerſus: vbi optimis deinde Rempub. ſuam inſtitutis formandam curauit, & ſumma pace, & otio, ceſſantibus vndique præliis, reliquum ſuę vitæ tranſegit.

Caratacus Cæſaris clementia in regnum reſtitutus.

Gratiſſimæ ſpei atque clementiæ argumenta efficacia. CAP. 5.

QVòd ſi clariſſimus iſte Rex tanta præditus fuit animi magnitudine atque conſtantia, vt etiam regno pulſus, apud hoſtes captiuus, & in extremam deiectus ſortem, nunquam potue-

rit non aliquid ſperare boni, quid quæſo tuæ prudentiæ faciendum, cui nihil tam aduerſum contigit? Ille ſiquidem per externum patriæ hoſtem prælio victus, vinculis preſſus, & iure belli in hoſtium poteſtate conſtitutus, in remotiſſimas terras ad Cæſarem, ſibi, ſuæque genti inimiciſſimum, perductus eſt: Tu verò cum cunctis Principibus vicinis, amicitiæ & pacis fœdere coniuncta, nullum habens externum hoſtem, in regionem hanc tuo regno contiguam, ad illuſtriſſimam Principem, tibi ſanguinis neceſſitudine, aliiſque multis rationibus coniunctiſſimam, tuæque gentis ſatis amantem, ob repoſitam in illius humanitate ſpem atque fiduciam, ſponte & vltro deſcendiſti. Ille in imperatoris infenſiſſimi, populique Romani, qui tot opulentiſſimos Reges, & Duces captos, ademptis ſceptris, in triumphum agere, opprimere, & trucidare cõſueuerũt, manus incidit: Tu contrà in Reginæ benigniſſimæ ditionem lubens veniſti, quæ clementiam, & humanitatem, prǽſtantiſſimum omnium in Principe affectuũ, ab incunabulis imbibit, hauſit, atque adeò ſeruat: cuius populus tibi tuèqne genti, forma, moribus, lingua, locique ſitu coniunctiſſimus eſt: & tu ex illorum ſanguine (vti ex tuis maioribus complures) nouiſſimè per illuſtriſſimam Auiam tuam, huius chariſſimæ Princi-

pis amitam, es prognata. Ille denique non aliter Cæſarem placare potuit, vt ab eo dimitteretur, quàm ſi regnum ſuum pro ſe & poſteris abiuraſſet, & in ipſius, populique Romani ditionem iureiurando præſtito, obſidibuſque ſuę fidei, integritatíſque ſeruandæ cauſa relictis, veniſſet. Hæc verò Princeps, apud quam tua res agitur, ſuis cõtenta finibus, nullius exteræ gentis, nedum tuæ, damno & clade cupit ditionis ſuæ terminos extendere. Pacem cum vicinis gentibus alit. Cùmque de fœdere ineudo, vt liberè tibi hinc abire liceret, & in auitum regnum redire, tecum ageretur, non iniquis certè conditionibus agi cœptum eſt, nec quidquam quod aut vim, aut metum prę ſe ferre, aut tyrannidis ſpeciem habere videatur, propoſitum erat: ſed quæ mutuam beneuolentiam, quietam pacem, & firmam concordiam inter vos, populũque veſtrum alere, atque in perpetuum tempus fouere poſſent. Quæ omnia cùm longè meliorem fore cauſæ tuæ ſtatum probare videantur, quàm olim erat nobiliſsimi illius Carataci, dum apud hoſtes eſſet, cùmque ille nihilominus liberè dimiſſus, patrię priſtinęque dignitati reſtitutus ſit, an nõ ſimilem, aut certè longe fœliciorem tuarum rerum exitum ſperare debes? Nam ſi ille captiuus ab hoſte victore dimiſſus eſt, quid, quæſo, tu ab amiſciſſima Principe & hoſpite expictabis? Si il-

le tan-

le tantā in atrocifsimo Principe, qui tot magnificos trucidauit Reges, expertus eſt clementiam, quid tu à clementiſsima Principe putas te accepturam? Si ille in patriam, & priſtinā dignitatem ęquis conditionibus reſtitutus, & obſes inſuper filia infra annum proximum dimiſſa eſt, vt Cęſar ſolam ipſius regis quaſi fidem & integritatem (quam certè nunquam violauit) ſequutus eſſe videatur, inhumanius aliquid tibi à ſapiētiſsima Principe accidere poterit?

Mutua inter Scotiæ & Angliæ Reges beneuolentia & humanitatis communicatio, variis ex hiſtoriis petita. Nihil æquè Principes decet ac clementia. CAP. VI.

CVius maiores, potentiſsimi Angliæ Reges, maioribus tuis Scotorū Regibus, quoties illorū quemquā aut ancipitis pugnæ euentu, aut quouis alio caſu, in Anglorum ditionem venire contigerat, non diſsimilem humanitatem, atque clemētiam ſępius prçſtitere. Enimuerò Malcolmus, cognomento Canmoir, Scotię Rex, Duncano ſuo patre à tyrāno quodam Machabęo, qui regnum tyrānicè inuaſit, occiſo, in Angliam anfugiens ad Edouardum Regem, perhumaniter ab eo acceptus, & regio more educatus, diu aſſeruatus eſt. Sed tandem Scoticę pariter Nobilitatis, ac Eduardi auxilio

fultus,in patriam rediit, commiſſóque cum Machabęo prelio, inſigniter eum vicit, & occidit.Ita auit o potitus regno,nullum nó humanitatis officium ſemper ab eo tempore in Anglos oſtendebat.

Polid.Virg. Angl.hiſt lib.9.13.19. 22.

Quinetiam Vilhelmus Rex primùm, & deinde Dauid,egregij Principes, pro patria contra Anglos dimicantes, in pugna capti (noſtri etenim Reges ad omnia pericula primi, & principes eſſe gaudent) poſt aliquod tempus redempti, in regnum reſtituti ſunt:qui deinceps ad extremum vſque vitę ſpiritum in pace ac otio Remp,fœliciter adminiſtrarunt, Denique huius peregrinatiodis tuę ſolidum & verum exemplar, ſapientiſsimns ille Rex Iacobus primus, atauus tuus,exhibere videtur. Qui cũ adhuc puer, patre regnum adminiſtrante, tyrannidem ſedicioſorum ciuium, qui eius fratrem regni Principem ſuſtulerant, fugiens in Angliam ſua ſponte,ſiue contrariis ventis impulſus deſcenderet, ibidem optime educatus, ac regiis imbutus moribus, variiſque eruditus diſciplinis,tandem accepta ex ſanguine Regio electiſsima coniuge,regno ſuo reſtituius eſt: quod deinceps magna animi moderatione,maioréque prudẽtia & ęquitate ſatis longo tempore gubernauit. Nihil hic antiquius habuit, quàm optimas leges & ſtatuta condere ac tueri, Liberales quoque diſciplinas, & bonas artes, etiam me-

Matthæus Paris in ſua Ang. hiſt.

chanicas, paſsim docendas per peritos viros, pretio aliundè accitos, iuuentutem in officio cótineri belliciſque exerceri artibus curauit, ne animis per licentiam & otium corruptis, inſolentes euaderent. *Polidor. virg. Angl. hiſto. lib. 23.*

Neque defuere etiam ex Angliç Regibus, qui parem humanitatem apud tuos maiores aliquando ſunt experti. Etenim Héricus ſextus, Angliç Rex, pugna per Edouardum, Eboraci ducem, & alios ſuç factionis ſocios, cum eo inita, fuga ſaluti conſulens, cum Regina coniuge & liberis, nonnulliſque viris nobilibus ſuarum partium, in Scotiç fines deſcendit, miſsis interim ad Iacobum Regé, proauum tuum, qui eum rogarent, vt pro veteri neceſſitudine Regno reciperentur, atque eius opibus in tanta calamitate leuarentur. His Iacobus lubenter auditis, conſilio ſuorum Principum admonitus, tantum abfuit vt Henrici preces, vel fortunam deſpexerit, vt etiam quamprimum illi obuiam factus, in Regiam deduxerit, Regémque conſolatus ſit, vt parato & æquo animo ferret, quod proximus belli euentus attuliſſet: eumque toto tempore, quo in Scotia fuit, regio tractauit ſumptu: venationibus, & omnis generis voluptatibus, quibus aſſueuerat, oblectauit: & ad extremũ liberè etiam abire permiſit. Poſſem ego plura adducere humanitatis prçſtitç per maiores tuos nonnullis Angliç Regib⁹ & Principibus exépla:

prę́ſertim nobili quondã Edgaro, Anglorũ legitimo principi & hęredi, Vilhelmi Normaniæ Ducis, tũc Angliã diripiẽtis, tyrannidẽ fugienti: quẽ pluribus annis Malcolmus Rex Scotię benignè & liberaliter accepit: vti & illuſtrem Gloceſtrię ducẽ, Henrici Regis quinti, fratrem germanum, Iacobus tertius humaniſſimè tractauit, quouſq; pace cõpoſita vterq; liberè ad ſua rediiſſet, Verũ cum hæc & ſimilia ſatis ex Annalibus conſtent, in iis diutiùs hęrere non expedit.

Magna humanitatis et beneuolẽtiæ à Regina Angliæ recipiendæ ſpes & expectatio.

Cùm igitur ex his, aliiſque permultis, qui in hanc poſſunt adduci ſententiam, perſpectum ſit, quanta ſemper inter maiores tuos, & clariſſimos Angliæ Reges, mutuę humanitatis & beneuolentię fuerit cõmunicatio, quid aliud ab hac clemẽtiſſima Principe ſperare, & ſumma animi alacritate expectare debes, quàm quod anteà maioribus tuis & claris Principibus contigit? Quíd aliud tibi optandum, quàm regio more tractari, honeſtis voluptatibus & exerciciis, quãdiu hîc aſſeruaris, frui, & demùm liberè dimitri, ac in regnum reſtitui, prout illi dimiſſi ſunt, atque reſtituti? Quid de nique aliud in tanti beneficij memoriam & compenſationem te reddere decet, quàm inito fœdere perpetuo cum coniunctiſſima tibi ſorore, amicitiam fouere, proſequi, illamque ſuſpicere, & (tãquam è nutu illius penderes) omnia grati animi indicia atque officia exhibere? Hæc

quæſo, Sereniſſima Regina, ſæpiſſimè tibi in mentem veniant,hęc tecum ſedulò meditare:hęc Dei Opt. Max.fauore aliquando te accepturum omni metu ſepoſito confide, preſertim cùm nunquam ab initio rerum (ni fallor)auditum ſit, quenquam ex noſtris Regibus,aut iure belli captum, aut regno exulãtem apud exteros,ſiue hoſtes, ſiue hoſpites, ad vltimam vſque ſenectam detentum, vel ibidem (niſi in ipſo pugnę conflictu occubuiſſet)vitam cum morte commutaſſe. Non enim noſtros, neque eos Principes,quibuſcum pacis & belli negotia interceſſerant,latuit præclara illa Pyrrhi Epirotarum Regis,clementiſsimi ſemper erga victos,de captiuis redimendis plena humanitatis vox atque ſententia, *Pyrrhi clementia in captiuos. Cic.lib 1. Offic.*

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt.

Nihil etenim eſt tam regium,tamque magnificum,quam opem ferre ſupplicibus,excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines:vt ediuersò nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummum imperium acerbitatẽ naturæ adiungere. Vt enim omnibus eſt odio crudelitas ita pietas atque clemẽtia beneuolentiam & amorem cõciliat. Homines ad Deos immortales nulla re propius accedũt,quã ſalutẽ hominibus conferẽdo. Suadet igitur Poëta,vt pii ante omnia ſim᷑:
Sis pius imprimis:nam cùm vincamur in omni

Munere, ſola Deos æquat clementia nobis:
Vtque hoſtes armis, meritis ſic vincit amicos.

Quare ſummis ſemper Monarchis atque Regibus (vt illuſtriũ ſcriptorũ monimenta teſtãtur) id imprimis curę fuit, homines mãſuetudine & humanitate potius quã bello vincere. Quapropter huius inſtituti pauca eáque iucundiſsima, cognitúque maximè Principibus neceſſaria huc adferre lubet huius rei exempla.

Alexãdri decus ob animi manſuetudinem. Plutarch. in Alex. magn. Curtius. lib. 8.

Prodeat ergò imprimis Alexander ille orbis domitor, q capto poro Indorũ Rege, cui corporis ingentes inerãt vires, & animi etiã longè maiores virtutes, hãc ipſam & corporis & animi excellẽtiã admiratus ſciſcitabũdus ipſe quidẽ magna tamen comitate adhibita, ab illo exigit, Qua ſe ab Alexandro ratione tractari, & qualem erga ipſum ſeſe gerere Alexãdrũ cuperet. Ad ea nihil Porus aliud, quã vt pro regia ſecum dignitate ageretur. Rurſus Alexander, anne fortè & aliud? Ad ea quoque & ille ſubdidit, Regiam dignitatem cuncta in ſe continere bona. Quę dicta cùm Alexander pro ſua, & Pori dignitate examinaſſet, non regnum modò illi reſtituit, belli iure partum, verùm imperio quoque eius latiores fines adiecit. Nec ſolũ hic, ſed multi præterea Regum, partim bello victi, partim dediti, pari clemẽtia ita ſunt ab eodem Alexandro ſeruati, vt non ſolùm ſint in priſtina fortuna retenti, ſed

ſin multo etiam ampliori collocati: vt difficile ſit iudicare, magíſne ſit belli decus, an humanitatis & clemētiæ nomen vincendo adept9. Pulchrum eſt Reges vincere,ſed multò pulchrius propriis affectibus moderari. Hunc æquabat,vel etiam ſuperabat Iulius Cæſar, quo nihil mitius excogitari poteſt. Huius etenim non modò facta, verumetiam dicta omnia,ſummam humanitatem, ſingularémque placabilitatem præ ſe ferūt, quemadmodum ipſius ad Oppium & Cornelium ſcripta declarant. Hæc(inquit)noua ſit vincendi ratio, vt miſericordia & liberalitate nos munianus, tentemúſque hoc modo,ſi poſſimus hominum voluntatem recuperare, & diuturna vti victoria. Qui & ſuis ad amicos epiſtolis teſtatus eſt, ex ciuili victoria nullum ſe fructum percepiſſe, quàm quòd à ſe quamplurimi ſeruati eſſent, quos quia hoſtes fuiſſent,& bello victi, iure perdere potuiſſet. Marcus Aurelius Anton. in hac quoque laude ſuperiorum æmulus, qua manſuetudine vſus eſt, occiſo Auidio Caſſio, qui res nouas in oriēte molitus fuerat,ſcripta docet adFauſtinam vxorem acerbiùs conſulentem epiſtola: Tu quidem,mea Fauſtina, religioſè pro marito, próque liberis noſtris agis,Relegi enim epiſtolam tuam inPhormiano, qua me hortaris, vt in Auidij conſcios vindicem. Ego verò & eius liberis parcam, & genero, & vxori: & ad Senatum

Iulij Cæſaris ſingularis humanitas.

Plutarch.in Cæſa. Dion. in Pompeio.

Mar. Aurel. Ant. Imperatoris ſumma placabilitas.

Xiphil. in Antonino.

ſcribam, ne aut proſcriptio grauior ſit aut pœna crudelior. Nihil eſt enim, quod Imperatorem Romanum melius cõmendat gentibus, quam clemẽtia. Hæc Cæſarem Deum fecit, hæc Auguſtum conſecrauit, hæc patrẽ tuum præcipuè ornauit. Denique ſi ex animi mei ſententia de bello eſſet iudicatũ, nec Auidius eſſet occiſus. Eſto igitur ſecura, Dij me tuentur: Diis pietas mea cordi eſt. Ad Senatum autem hanc ſententiam ſcripſit: deportati redeant, proſcripti bona recipiant, viuant in patrimoniis parẽtum, ſint diuites, ſecuri & liberi: atque vtinam poſſem multos ab inferis excitare. Neq; minor pientiſſimi Regis Dauidis in Saulem clementia, quẽ cùm perdere, hoſtémque vlciſci, & ſimul regnare poſſet, magna ſe animi moderatione continuit.

Dauidis in Saulem clementia. *1. Reg. 24. 26.*

Imperatoris Caroli quinti humanitas.

Caroli etiã quinti, inuicti Principis, ſumma humanitas in Muleaſſen, Tunetanũ Regem, quamuis Barbarum, & Mahumeticæ ſectæ profeſſorem, liberaliter exhibita, ſilentio præteriri nõ debet. Hunc regno pulſum, ſupplicéſque ſibi fundentem preces, vti opẽ ferret, hoſpitali liberalitate atque fide tractari fecit: & demùm collecto ingenti exercitu, in Africam traiiciens, prælio cum Muleaſſis hoſtibus commiſſo victor euaſit, & eundem in priſtinę fortunæ habitum, & in regnum reſtituit. Huius humanitate multi ex Turcis ac Sultanis Imperatoribus inci-

tati, non modicam deinceps Chriſtianis deuictis manſuetudinem atq; clementiã oſtẽderunt. Atque vtinam & horum exemplo Monarchis noſtrę ætatis perſuadere poſsẽ, vt animo imperarent ſuo, & ob res ad nutum, voluntatémque cedentes, minimè inſoleſcant, ſed potiùs parcere victis, ſupplicéſque in gratiam recipere glorioſum exiſtimarent. Decet namque (vt Cleobuli verbis vtar) non tam amicos quàm inimicos beneficiis proſequi: hos vt amicos, illos vt amiciores reddamus.

Saluberrimus animi cibus, eiuſdémque epulæ ſplendidiſſimæ. CAP. VII.

AGE igitur, inuicti animi Regina, & quorum Principum ſceptra, lõga maiorũ ſerie tueris, earundem mores planè regios, fortitudinem, atq; in aduerſis conſtantiam imitare, exprime, ſupera: Et hac lætiſſima ſpe animum tuum vti ferculo quopiam dulciſſimo, pietate atq; ſapiẽtia probè condito, paſce, recrea, atque foue: hic ſanè ſaluberrimus erit animi cibus, ad mentem non ſolum alendam, verumetiam in ſua tranquillitate conſeruandam, atque tuendam. hilarem itaque (quod perpetuò ſoles) oſtende vultum, vt & amici, & hoſtes te cognoſcant nulla ſorte ab æquanimitate, & maiorum virtute poſſe dimoueri: ſed vti illos res bellicæ clariſſimos, ita te inuicti animi fortitudo clariorem reddat.

Cæterùm tametſi priuato fortè cuipiam vnicum illud bonæ ſpei ſalubre nutrimentum ſatis ſupérque ſufficere poſſit: ſolent tamen magni Principes varij generis Dapes, lautioréſq; epulas (ne quotidiano & nimis aſſueto cibo nauſeēt) vndique exquirere, & ex his, quæ guſtui maximè placēt, & palato reſpondent, cùm menſis opponuntur, optima queq; ſeligere. Sit itaq;, Princeps modeſtiſſima, cum illa, quā in Dei Opt. bonitate repoſitam habes, fiducia, huius Sereniſſimæ Reginę, ſororiſq; tuę chariſſimæ humanitatis ac beneuolētiæ ſpes & expectatio, primū

Panis. conuiuij noſtri ferculum, & panis loco, quē vti ciborum omniū præcipuū ad corda hominū confirmanda, quotidiæ oratione peti, & cultura atq; labore nobis de terra educi voluit Deus. Neq; etiam dulciſſimi ſaporis

Vinum. vinū, quo mentes lætitia afficere, curáſq;, ac ſitim leuare poſſint homines, Principum epulis minus pane illo ſaluberrimo videtur eſſe neceſſariū. Illud ſanè diuino quidē mortalibus munere datum, vt cor hominis lætificet, & nimiis curis affectum, tanquā pręcipuo quodā afflicti animi medicamento, aliquantum recreet, Dauid probè cecinit: Sed vnde, quæſo, vinū hiſce mēſis maximè congruum parare poſſimus? An ab iis, qui vina, ſuſpenſa in compitis atq; vicis hædera, vendere ſolent? Minimè. Talia nempè viliſſimis opificibus, & aliis infimæ ſortis hominibus

relinquamus. Neq; certè id genus vina aut moderandis animis ſalubria, aut nutriendis noſtratium corporibus multum accommoda, verùm potiùs ipſis vrendis, caloréque turbandis, vnde febres calidæ, morbíque feruentes excitantur, aptiſſima.

Verum enimuerò non aliundè quàm ex fœcundis vicinorum regum atque Principū calicibus, quibus potiſſimùm hac noſtra ætate vtuntur, potus ille, qui hiſce tuis epulis digerendis maximè conuenit hauriẽdus eſt. Atque vt huius ſalutiferi liquoris natura tibi innoteſcat, nonnulla paulò altius repetẽda ſunt, in quibus acerbius forte nonnullis videbor. Sed quoniam huc me impellit res ipſa, & quę vrget neceſſitas, dicam ingenuè, quanquam inuitus, nequaquam ſanè dicturus, niſi è re tua fore putarẽ. Iterum atq; iterum cogitandū profectò eſt, graues morbos leuiuſculis medicamentis curari non poſſe.

Communis principum hac ætate noſtra calamitas æquo fortíque animo ferenda, quòd mala multis communia leuius feriunt, CAP. VIII.

IMprimis igitur animo reuoluẽdum eſſe cēſeo, quāta ſit in hac orbis terre perturbatione omniū Chriſtianorū, à multis annis cōmunis quaſi calamitas, & miſerāda diuexatio, alienatis nẽpè ab officio, & Principū obediẽtia tot ſubditis, infenſis haud iniuria

ſummis Regibus, diſſenſione de rebus diuinis & humanis vbique ferè gentium excitata, vt iam vix vlla regio, ciuitas, aut Reſp. ab his ſeditionibus, & ciuili bello libera ſit & immunis. Quid mirum igitur, ſi tua etiam Scotia, in hoc quaſi commune noſtri ſeculi malum ſit præcipitata? Communes itaque euentus, vt Græci illi ſapientes docent, ferre communiter oportet, & vel ita demum nobis quæ moleſta ſunt, alienis malis conſolari: Lenius nãque ſingulos feriunt mala multis communia: ſiquidem malorum communicatio cum multis maxima eſſe ſolet ægritudinum leuatio, quemadmodum & grauiſſimè ſcribit Seneca:

Lenius Luctus, lachrymáque mordent,
Seneca Troad. act. 4. *Turba quos fletu ſimili frequentat.*
Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat.
Æquior caſum tulit, & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit

Proinde ſi vicinorum Regum aut Principum nullus ab ingratis ſubditis iniuriam pateretur: ſi nullum aliud regnum ſeditionibus mutuis, cædibus, rapinis, ſpoliis, ciuili denique bello præter vnicam Scotiam toto hoc temporis curriculo vexaretur: nuſquã aliàs diuinarum, & humanarum legum eſſet contemptus: nec contra fas, iuráque omnia liberè in omnes ſæuiretur, ſi vlla denique e-

qui ac boni hoc infœliciſſimo ſeculo ratio haberetur: Tum certè, tua, tuęque gentis intuenti mala, ingentes dubio procul illa dolores ciere poſſent. At verò ſi mentis oculos, aciémque intendere lubeat, & circumiacentes luſtrare prouincias, nulli mortalum omnium ordini his temporibus maiores vndique inſidias, quàm Monarchis, Regibus, atque Principibus parari perſpiciemus. Tantum enim abeſt, vt honorem, fidē, ac obedientiam, quæ Dei Opt. Max. mandato illis debentur, exhibere ſtudeat rebellis populus, vt vix eos tuto alicubi conquieſcere permittat. Quandoquidem non pater à filio, nec frater à fratre, aut ſocer à genero, nec hoſpes ab hoſpite tutus. Quot quæſo, inſidias Regibus, & potentiſſimis Monarchis, tum à nobilitate, tum à cæca confuſáque plebe, vt eos ſedibus eiiciant, & regiæ obedientiæ, iugum ſuis ceruicibus excutiāt, proximis hiſce annis præparatos fuiſſe didicimus? Horum ſuperbiſſima audacia, & peſſimis artibus alij regio honore, ac diademate priuati, inque carcerem coniecti, in pane doloris, & aqua anguſtiæ vitam tranſigunt: alij ſuis ſedibus pulſi, vitæ conſulentes, in exilio apud exteros degere coguntur: alij denique tot continuis ciuium ſuorum præliis cædibus, rapinis, & id genus moleſtiis miſerrimè agitati, ſæpiſſimé precibus optare ſibi coguntur, aut nunquam ſuæ gentis ſce-

ptra tenuiſſe,aut certè, honore ſaluo, regio licere ſe abdicare imperio, vt ſecuram deinceps inter priuatos vitã ducant.Quid, quòd nullum ſit ferè ex vicinis gentibus regnum, quod non hæc peſtis atque lues exitioſè inuaſerit, commouerit, multorum nobilium atque ciuium cæde fœdauerit? vſque adeò vt,ſi Aſtrologorum regulis fas ſit fidere, omnia aſtra, & cœli conſtellationes in ipſos Reges videantur ſuos acies, noxiáque ſpicula dirigere. At ego,iure quidem, longè ab Aſtrologis diuerſum ſentiens,Dei omnipotentis prouidentia,in cuius manu ſunt corda Regum, hæc omnia illis euenire haud dubiè mihi perſuadeo, ídque in magnam ipſorum,ſi velint, ſalutem. Etenim dum ille corripit,arguit,& caſtigat, ſuæ beneficentiæ atque amoris erga eos dilucida oſtendit indicia:illos nimirum perire nolens, muneris ac poteſtatis ſibi commiſſæ admonet: vt ſe non ſibi ſolùm natos,ſed ipſius quidem miniſtros eſſe in bonum, ad diuinam nempè ipſius gloriam propagandam, & leges obſeruandas, cùm in bonorum ciuium laudem, tùm in malorum animaduerſionem agnoſcant. Ne igitur Regum munere ſe fungi arbitrentur, vt in otio, deſidia, ac voluptate nullam Reip. aut ſuorum ciuium curam habentes, & improbis hominibus vices ſuas iuſtitiæque fræna committentes, vitam trãſigant,tanquam omnibus eſſent ſoluti legi-

bus,nulliúſq; imperio ſubditi. Nam quemadmodum

Regum timendorum in proprios greges, Sis
Reges in ipſos imperium eſt Iouis,
Clari gigantæo triumpho,
Cuncta ſupercilio mouentis, Vt ait Lyricus,

Horat.od. 1.lib.3.

Huic enim, vt ſummo monarchæ ac potentiſſimo iudici meminiſſe debent Principes terræ ſuæ adminiſtrationis rationem aliquãdo ſe reddituros, eóque cautiores eſſe debent, quò grauiorem in Principes delinquentes quàm in quoſuis alios laturus eſt ſententiam. Potentes potenter, ait ipſe, tormenta patientur: Nec mirum ſi quando delirãt Reges ob eorumdem crimina populũ (vt & ob Dauidis delictum factumlegimus) gladio, nonnunquã fame, aut peſte iuſto Dei decreto puniri contingat: populus enim ſæpiſſime principum mores, etiam improbos ſtudioſe imitatur vti Poeta meminit,

Sic natura iubet, velocius & citius nos
Corrũpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeant animos authoribus!
Quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes ſumus.
Componitur orbis
Regis ad exemplum.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Iuuenal. ſat.14.

Principum tamen atque regum tutela Deo ita curæ eſt, vt quos ipſe in terris Deos, & filios excelſi hoc eſt, ſuos terminat, ſuáſque

Pſalm.19. vices gerere voluit, non ſinat vllis concuti terroribus dummodo non in curribus & equis ſed in Domino Deo ſuo, illiuſque ope & clementia ſpem ſuam poſitam & fixam habeant. Tunc enim dubio procul cunctos illorum hoſtes perdet Dominus & in ira ſua cõturbabit, & per ignẽ deuorari faciet, fructumque eorum de terra perdet & ſemen eorum à filiis hominum.

Exhortatur Principes vt debite ſuum exequantur munus, & vnde tanta in Inſulis ſeditionum frequentia, quarum authores diro exitu ſæpiſſime pereunt. CAP. IX.

QVocirca te Regina, cęteroſque Principes omnes oro, obteſtorq; Deo regũ rectori maximo, quantum in vobis eſt, placere, contendite populum vobis commiſſum in officio erga Deum & homines continere, iuſtitiam ęqua lance omnibus adminiſtrare, cuncta denique, quæ ad veri principis officium pertinent, debitè preſtare velitis, vt ipſe pro ſua benigniſſima clementia in veſtrum exurgat pręſidium, & omnibus vos periculis liberet, concedatque tandem vita frui tranquillitatis & otij plena. Quod ſi tamen improborum ſeditionibus interdum (vt hac tempeſtate non vno in loco fit) à veſtro munere, & rebus pro dignitate gerendis, vos auocari contigerit, interim pij

Dauidis exemplo, deliberato animo, ſince- *Pſal.101.*
ráque mente vobiſcum ſtatuere decet atque
vouere, nihil in poſterum tempus à vobis
actum iri, quod à Principum perſona ſit a-
lienum. Ille etenim cordium ſcutator, cui
obſequium magis quam victima placet, pias
inuuens mentes eaſdem habebit acceptas,
moleſtiáſque ac difficultates ſubmouebit
omnes, & veſtros conatus fœlici votorum
euentu fortunabit, ad ſui gloriam, & com-
munem totius orbis quietem atque pacem
Et quanquam nulla pene fuit à mundi prin-
cipio ętas (ſi tempus illud vere aúreum, quo
pacis author cum hominibus verſatus eſt
excipias) ab huiuſmodi ſeditionibus ciuilí-
que bello libera, & immunis, nunquam ta-
men tanta ſubditorum in ſuos Principes
vndique graſſantium quanta paucis annis
in hac rerum omnium confuſione excãduit
erinnis: nec quę tam late extra ſuos fines va-
gari permiſſa eſt. Et reuera lõgè frequentio- *Cornelius*
res ſemper fuerunt in his Britannicis inſulis *Tacitus.*
quàm aliàs vbiuis gentium (vt veterum an-
nales teſtantur) factiones, adeò vt qui Ro-
mani imperij geſta in commentarios digeſ-
ſerunt Inſulares omnes maxime qui Septẽ-
trionales incolunt partes ſeditioſos eſſe cri-
minentur. Verũ enimvero quod illi in dede-
cus & notam vertunt, vice verſa in gentis
noſtræ laudem potius reflecti poſſe autu-
mo: quippe quod tanta ſemper fuerit maio-

tibus noſtris à toto penitus orbe diuiſis, atq; loci natura munitis, libertatis ſuę diutiſſimé quidē conſeruatæ cōtra Romanos (qui nullo Iure, ſed vi ac tyrānide omnibus aliis imperare nitebātur) ſeu tutandę ſeu vindicādę cura vt nullā nō arripuerint occaſionem anſámq; idoneam, quo ferreū illud intollerabiléq; illorū iugum ſibi excutere poſſent. Cæterū habet certè has vices rerū mortaliū cōditio vt quæ ſumma neceſſitate & anguſtiis preſſi ad ſui tutelā exigente tum rerum preſentiū ſtatu excogitarūt veteres, quæque ex neceſſariis cauſis originē duxerunt, tandē temporū decurſu in malæ cōſuetudinis corruptelā dilabi ac defluere ſæpe ſoleāt. Quod ſane & in hac factionū contagione facile eſt obſeruare. Nam ab eo tempore quo in Romanos, qui nullo iure ſed atroci iniuria nobis dominari ſtuduerunt, noſtrates arma capere fortiter toties ſe illis opponere legibúſque illorū reniti, & imperiū recuſare cōſueuerunt, ex hac demū conſuetudine talis corruptela inde ſubſequuta eſt, vt nec vllorum quidem Principū quanquā ſuæ gentis & legitimi ſint etiamnum hodie Imperiū longo tempore quiete ferre valeāt. Vnde inueterata illa ſeditionum conſuetudo (quamuis nō à paruis omnino initiis cœpta) diuturnitate confirmata in noſtrā continuis motibus ętatem fluxiſſe videtur. Nam ſi quis annalium huius inſulæ ſcriptores reuoluat, vix vnum

quidem aut alterum ex Scotiæ Angliæue regibus, etiam ex iis qui pietatem & iuſtitiam maxime coluerunt, ab his ſeditionibus liberum fuiſſe reperiet, aut prorſus immunem. Poſſem quidem multa non modo de exteris Principibus & Monarchis, ſed de vicinis noſtris, Angliæ Regibus Richardis, Edouardis & Henricis in medium adferre, qui tametſi piorũ Principum mũnere functi ſunt, nihilominus maximas paſſi ſunt à factioſis ſubditis moleſtias. Sed ne nimium curioſus videar in aliena Repub. hæc prudens ſciénſque pręetereo, domeſticis contentus exẽplis.

Idcirco vt à gentis noſtræ exordio paulò altius nonnihil repetam, Is qui ſecundus Scotorum Rex poſt Ferguſium primum extinctum inauguratus eſt, Feritharis nomine, ingentes labores atque diſcrimina tùm pro publica, tùm pro vnuſcuiuſque ordinis ſalute ſubiuit, nec menore dexteritate rẽpub. adminiſtrauit: Is etenim primus omnium optimarum illarum legum quæ æqui boníq; nomine cenſentur apud noſtrates extitit & author & confirmator. Quorundam tamen inſidiis, quibus illiús imperiũ erat inuiſum, ſubito extinctus eſt: Duffus quoque Rex & in Deos (vt erant tunc hóminum mores) religioſus, & in homines iuſtus pari modo ſublatus eſt. Et quis, quæſo, aut politicę communíſque iuſtitiæ aut religionis Chriſtianæ magis ſtudioſus quam Iacobus pri-

mus abauus tuus?is tamen nefando coniuratorum ſcelere interiit. Neque verò facinoroſi harum omnium ſeditionum authores, & parricidæ ipſi, qui in Domini vnctos manus immittere non ſunt veriti, iuſtam Dei vindictam effugerunt. Nam ſcelere admodum excandeſcente, cœleſti ira (prout ſemper fere ſolet in id genus homines) meritò animaduerſum eſt. Omnes enim, ſi pauciſſimos excipias, turpiſſima morte abſorpti fuiſſe memorantur. Quinetiam Iacobus ſecunſuperioris Iacobi filius, qui illi in regnum ſucceſſerat magnatum coniuratione plures annos rebus turbidis eſt vehemẽter afflictus: quibus tamen ope diuina poſtea opreſſis, & regno vndique pacato cum ſummo procerum amore populique obedientia regnauit. In cuius demortui locum Iacobo tertio Rege ſuffecto diuerſum quid in regni adminiſtratione à patris fortuna accidit. Primis enim imperij ſui annis quiete, pace, & otio fungebatur: ſub finem tamen, acerbiſſimá expertus eſt fortunam. Magna ſiquidé nobilitatis parte in eũ coniurante ad ſtriuilingũ nobis adéptus eſt. Verùm Iacobus eius nominis quartus auus tuus parenti in regnum ſuccedens, ſub initium principatus ſui, nonnullis contra eũ conſpirãtibus, ſumpto de ipſis authoribus ſupplicio, motus omnes facile compeſcuit, & eò quietis totam patriá redegit, vt æqua iuris deinde admini-

Polidor. Virg. Hect. Boet.

ſtratione à furtis, latrociniis, cędibus, & id genus flagitiis, reliquo ipſius vitę tempore plene abſtineretur. Poſtremò viua illa heroicarũ virtutum Imago Iacobus quintus pater tuus, quo nullus priorũ Regum, aut pietatem in Deum Orthodoxámque religionẽ ſtudioſius coluit & protexit, aut iuſtitiã ſubditis adminiſtrauit, ęmulatione inter primates ob imperij regimen in ipſius primũ pupillari ætate exorta, ſuorũ ſubditorum, qui contrarias propter ipſius Principis tutelam cuſtodiã & regni adminiſtrationẽ nutriebãt factiones, mutuis cædibus etiã adhuc pupillus, in ipſo cõflictu aliquando, quantumuis inuit⁹ intereſſe coactus eſt. At certe poſteaquã adoleuiſſet, ita omnes ſedauit tumultus vt fœliciſſimè deinceps in ſumma trãquillitate regnaret. Sub exitũ tamen ſui Principatus alienatis ab ipſo nõ nullorũ procerũ, qui legum moderamina ferre non poterant, aliquantulum animis, magno propterea Reipublicæ cauſa mœrore affectus, in grauiſsimum incidit morbum, vnde inuida noſtræ fœlicitati mors eſt ſubſequuta. Quò tibi æquius ferendum eſt vna cum regni ſceptro à tuis maioribus, licet piis & optimis Principibus, tibi delato, ſimilem quoque ſeditionĩ tempeſtatẽ qualem illi aliquãdo ſuſtinuerãt, hoc infœlicisſimo ſæculo per tuos fines graſſari. Illud quoque dolores tibi minuere debet, vt vix poſſis iuſte conqueri, quòd è

nullo alio videaris calice haurire,quàm quē maiores tui,ac etiā alij ſummi quoque Principes & olim, & hac noſtra ætate, per ſuos prælibare ſunt coacti.Ex eiſdem enim cadis, amphoríſque,idem vinum communiter vobis depromptum eſt, & in eodem calice ab iiſdem pocillatoribus, non extraneis quidē ſed veſtris(etſi veſtri reuera non ſint) propinatum eſt:Nequepropterea animum deſpōdere debes,quòd cū ſis fœmina, ſummis viris aliquanto etiam grauiora patiare. Sed ſi vinum forſan hoc, aut auſterius, aut acrius ſit,quàm vt delicatiſſimo tuo ſtomacho ſatis poſsit conuenire, tum certè illud limpidiſsima aqua diluēdum,aut ſacharo ſuauiſſimo probe temperandum ſentio: quippe quòd moderata vini dilutio, ſi medicis credere par eſt, omnem acrimoniam tollit, fumos vaporéſque ne aut excitentur,aut capiti noceant,facile cōprimit,calores extinguit, corpúſq; in ſumma æqualitate, & ad quodlibet exercitij genus aptum reddit. Proinde ſi hæc quæ de malorum communitate dicta ſunt:acerbitatem aliquā prę ſe ferre videantur,eà hac dulciſsima meditatione commiſcere ac temperare, vt nimirum tecum cogites, quanta ſit ſummorum Principum, magnatum,atque nobilium exterorum cōſtans erga te beneuolentia, certus amor, feruens amicitia. Nec vero auſteritatem etiam illam parum lenire debet complurium

tuorum procerum, populíque optima & ſpectatiſſima Fides,& obſeruantia qui longo certe bello & cum magno vitæ periculo, atque bonorum diſpendio, non modo non recuſarunt,ſed ſua ſponte tuas tueri partes conati ſunt,& ita tandem integram ſuam fidem ſuo ſanguine ob firmare. Qua in re ſe nihil à maiorum ſuorum virtute degeneres eſſe declarant:qui pro principe,Republicæ, aut cognatis vitæ periculum,nedum bonorum iacturã,pro nihilo ducere ſemper ſunt ſoliti.Qualem certe amoris ſuorum erga ſe ſignificationem, vix vllus alius hac ætate principum, dum finibus ſuis pelleretur. támque parua de ſubito illius reditu foret ſpes,ſeuiſſe cognoſcitur. Hi ſiquidem probe imitari videntur fidei & obſernantiæ erga principes ſuos morem, quem Aethiopibus fuiſſe ſcribit Diodorus Siculus: puta vt ſi quãdo Rex aliqua corporis parre ex quauis cauſa debilitaretur, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partem debilitarẽt. Turpe enim exiſtimabant, Rege claudo amicos omnes non eſſe claudos: Siquidem abſurdum videbatur,cum veræ ſit amicitiæ ex rebus aduerſis amicorum dolere, lętarique ſecundis, non & corporis quoque dolorum participes eſſe. *Diodor. Sic. rerum antiq. lib.4.cap.1.*

Exhortatio

Quamobrem,Princeps ſereniſſima,omnibus officij mei partibus,& rerum prętẽtium circumſtantiis diligenter cõſideratis,Tuam

hæc enim duo à prouidis œconomis tam ad ſolemnia conuiuia quàm ad quotidianum alimentum imprimis parari ſolent.

Sunt autem & alia multa partim liquida, partim ſolida, quæ corpori alendo ſubminiſtrari ſolent edulia, quibus non abuti, verùm ſummo moderanime, ſuóque tempore re vti conuenit. Nonnulla itidem quæ medicorum conſilio prohibentur, cõualeſcentibus preſertim, ne in recidiuas febres alioſue morbos, denuò incidant. Ita ad animi quoque tranquillitatem, ſolidęque mentis prę ſidium, nó minus exquiſita coemere decet obſonia, nonullaque vitare, quæ, vt canit ille, infandum poſſent animi renouare dolorem. Quare ex iis quę ad mentis probitatem, atque conſtantiam plenè lautèque fouendam magnoperè conducunt, pauca quidem ſed ea ſaluberrima tuis menſis apponere viſum eſt.

Rectæ voluntatis conſcientia, & benefactorum Recordatio, ſummum in malis ſolatium.

CAP. X.

HÆ itaque primũ prodeant epulę, quę perpetuo tuis debent adeſſe menſis: illę nempè que omnem mœroris acrimoniã depellere poſſunt, quęque maxima rerum aduerſarum conſolatio eſſe debet: Rectę puta voluntatis conſcientia & multorum

beneficiorum iucundiſsima recordatio. Has profectò ſuauiſsimas tuę mentis dapes, atque delicias, ſiquis alius, iure tibi vendicare potes. Quippe quę ne verbo quidem quẽquam ex his qui dolorum tuorum ſeſe architectos, atque authores exhibuerunt, nedum re ipſa, vnquam offenderis, turbaueris, læſeris: quin potius magnis honoribus, titulis inſignibus, & prodiga potius munificentia ornaueris, auxeris euexeris: tantáque clementia ac lenitate (ne dicam nimia indulgentia) in eos non ſemel aut iterum, ſed quotidiè penè fuiſti, vt quamquam aliud longè eorum debebatur meritis, vere dici poſſit, te non Regio in ſubditos, ſed materno affectu in eos tanquan in liberos extitiſſe; Et quoniam res eſt notior, quàm vt iam commemorari à me debeat, pretereo inferioris loci homines, veniant tantum ſerenitati T. in mentem quatuor illi, qui ſeſe nomine chariſſimi filioli tui noſtri principis (harum rerum per ætatem inſtij) in Solium tuum ſeſe pro reges intruſerunt. Quorum duos omnium prima comites creaſti: Tertium præter alia ſummæ beneuolentiæ indicia, in comitatum, è quo diu, ſicut & è patria eiectus fuerat reſtituiſti: Quartum vero à tuo tutore duntaxat, ad comitatum euectum nõ deieciſti, ſed potius extuliſti: & licet in tuam regnique Maieſtatem grauiter peccarit, tamen ſub miſericordiæ tuæ alas ſuſceptum

benigne reſouiſti. Si hæc non eſt ſumma benignitas, aduerſarios ipſos teſtes appello. Et rurſum ſi in talem principem tot tantíſque beneficiis cumulatos inſurgere, non eſt ſupra communem perduellium furorem, & cæcitatẽ ſumma ingrati animi labes & macula, dicant hoſtes, ecquid ingratum eſſe putent. Nec tamen indulgentia iſta tãtum tibi laudis, quãtum illis turpitudinis ac maculæ parit. Nimia enim lenitas, & admiſſi facinoris impunitas eaſdẽ ſępe culpas, & etiam nõnunquam grauiores parere conſueuit. Nam recte Publius Syrus: veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam. Verum nihil eſt laudabilius, nihil magno & preclaro principe dignius, humanitate, & clementia: ea tamẽ ita demũ probãda eſt, ſi adhibeatur reipub. cauſa, ea ſeueritas, ſine qua in pace adminiſtrari ciuitas vix vlla, ne dum regnum poteſt. Sed hanc ſeueritatẽ ſumma ęquitate, & iudicio moderandam puto, vt & Perſis in more poſitum fuiſſe legitimus, apud quos ob vnum ſolum delictũ (vti ſcribit Herodotus) atrocius aliquem punere non concedebatur, ſed expendebant prius an plura ac maiora eſſẽt flagitia quam benefacta: atque ita demum iudicabant. Nec tamẽ laude ſua carere debet prudentiſſimum illud tuum conſilium, quo hominum animos beneficentia, ac manſuetudine magis conciliare quàm ſi aut tyrannide vrgere ſemper affectaſti vt ſubditi tui

Herodotus lib. 1.

te reuereātur magis quàm metuant: propter ea quod reuerentiam admiratio, timorē inimicitia atq; periculū comitetur: Accedit etiā quod ingēs bonū ſit amari, vt reuera ei q̄ diligitur, vltrò bona affluāt omnia tum à diis, tum ab hominibus. Proinde ſi tanta tamq; lætalis ciues tuos, in quos ampliſſima contuliſti beneficia, quoſque & præclaris Reipub. muneribus ornaſti, obliuio cœpit, vt gratiam nullam referre ſtudeant, nihil tamē illorum efferata malitia te mouere debet, cum adeò manifeſta ſit tua in illos magnificentia ſumma, vt prolixior eius rei commemoratio iam futura ſit otioſa. Ad hæc in iſtorum opprobrium, redundat, quod per vniuerſum fere orbē cognita ſit heroica tua virtus, veræque regiæ animi tui dotes, adeò vt quicquid in tui nominis inuidiam ingratiſſimi iſti excogitant quotidie, id nomen dignitatémque tuam illuſtrare potius, quàm obſcurare videatur. Præclarè ſanè docent illi qui verba cùm laudantium, tum vituperantium ad mentem noſtram reuocari debere aſtruunt: vt ſi in ea non inueniatur bonum quod de nobis dicitur iuſta videtur oblata ratio cur nobis diſpliceamus: & rurſum ſi mali rumoris, quem de nobis ferunt obtrectatores, nobis ipſi conſcij non ſumus nulla ſit occaſio cur animis conſternemur. Sapiēs enim ille, quem nec falſus honor iuuat, nec mendax inſania terret, vt eſt apud

horatium. Quid enim, ſi nõ omnes nos laudent: & conſciẽtia tamen, quod res eſt, liberos eſſe demonſtret? Habemus egregium conſolationis exemplum apud Diuum Paulum dicentem, gloria noſtra hęc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Iobum quoque, Ecce, in cœlo teſtis meus. Si ergo nobis eſt teſtis in cœlo, & teſtis in corde Deus, ſtulti, inuidi, atque ingrati foris loquantur quicquid velint: Quid enim aliud detrahentes faciunt, niſi quod in puluerem ſufflantes, in oculos ſuos detractionis terrã excitãt, vnde nihil quod verum eſt decernere valeant. Sin autem illis ex veritate ſatis fieri nequit, meminiſſe debent: verborum domini qui de Iudæis loquens quum abſque cauſa illi ſcãdala excitarent, ſinite inquit illos, cæci ſunt, & duces cœcorum. In mentem quoque veniat illud poëtæ. *2. Cor.* *Iob. 16.* *Math. 17.*

Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra.
Pectora, pro facto ſpemque metúmque ſuo.
Nam, conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

Omnino veriſſima eſt illa Prophetæ ſententia. Omnis gloria filiæ regis ab intus: intus videt Deus, intus audit, intus alloquitur, nec vel punit, vel coronat niſi quæ fiunt intus. Quare admiranda illa conſcientiæ regij Prophetæ ſerenitas tibi ob oculos ſemper obuerſetur: Hæc enim illi in aduerſis ſumma ſemper fuit cõſolatio, atque lætitia, quòd tametſi in Deum ſæpe ſe deliquiſſe nõ *Pſal. 44.*

patientius? Rex erat, & fortiſſimorũ quidem virorum agmine ſtipatus, & tamẽ in priuatum hominem à quo ſexcentis contumeliis oneratus fuiſſet noluit ſtatim animaduerti: Neq; enim ſpe illa qua ſibi pro maledictis Deum adfuturum dixit fruſtratus eſt: Poſt enim ob omniũ inimicorum iniuriis liberatus, ac regno reſtitutus gratias agens cecinit. Præcinxiſti me virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. *Pſal. 17.*

Principes decet in ſubditos eſſe clementes & liberales. CAP. XI.

HVius itaq; piiſſimi Regis amplectenda eſt animi moderatio, & ſumma tum in hoſtes, tum ſubditos ſuos humanitas, atq; clemẽtia: Solẽt nanq; egregij principes mãſuetudine beneficiorũ cumulo auerſos & alienatos ſuorũ animos lenire, ac conciliare. Neq; profectò eoſdẽ ab beneficẽtia auocare, terrereq; debet quòd plerúmq; qui maximè beneuoli, ac liberales in Rempublicã fuerunt, ij potiſſimum apud ingratam ciuiũ multitudinem malè audiant. Themiſtocles & Ariſtides Athenienſium duces in exilium eiecti teſtes locupletiſſimi eſſe poſſunt: imo potius Ariſtidis imitanda eſt probata illa virtus, & moderatio qui cum poſt innumera benefacta in patriam ciuéſque ſuos, inuidia quorundam in exilium actus eſſet,

& tertio deinde poſt anno domum reuoca-retur, de vindicta nunquam cogitauit nec iniuriarum meminit. Tam modeſtè probéquæ ſe erga ſuos geſſit. Maior tamen fuit ALEXANDRI illius magni Macedonum regis in detractores humanitas, in quos non tenui liberalitate vſus eſt, regium eſſe dicens à quibus male audias in eos aliam beneficẽtiam exercere. Næc minor fuit Iulij Cæſaris cum rerum geſtarum, fama & gloria floreret clementia in Catullum Veronenſem, cuius verſiculis de ſe editis cum magna laboraret infamia, non ſolum nullo incommodo eum affecit, ſed etiam non parum commendauit, ei reconciliatus eadem die ad cœnam exquiſitiſſimam, de præteritis iniuriis nulla prorſus facta mentione, illum inuitauit. Quinetiam idem Caio Memmio cuius aſperrimis orationibus coactus fuerat verborum aſperitate reſpondere, cum etiam ex profeſſo inimicus in petitione tamẽ conſulatus ſuffragator extitit. Erat quippe natura ſua mitis, adeóque ab iracundia alienus, vt à Cicerone multis cõuitiis laceſſitus tàm non commoueretur, vt ne reſponderit quidem. Ad hæc ſolitus erat literas, & libellos aduerſus ſe ſcriptos miniméque à ſe lectos in ignem coniicere. Maluit enim ignorare maleuolentiam, atque de ſe male ſentiẽtium nomina, quam iuſtam illos vlciſcendi cauſam aucupari. Quis non miretur diuinam

prorſus

prorſus Auguſti Cæſaris in ſubditos clemẽtiã: qui in Cinuam Cnei Pompeij nepotem à quo inſidias vitę ſuæ paratas, & in Gallia ſtructas eſſe ſciebat, omne odiũ remiſit humaniſſimè, atque in ſequentem annum cõſulem deſignatum in familiarium amicorũ numero habuit. Qui certè honores vix illi deferendi fuiſſent qui periculo pro tuenda dantis ſalute vitã obieciſſet. Cúmque idem Auguſtus multorum maledictis vexaretur, reſpondit, in ciuitate libera & liberas eſſe linguas oportere: Illud enim ſemper in ore habebat, vere regium eſſe benefacere cum male audieris. Iunior quoque Theodoſius imperator tàm admirabili fuit ingenij lenitate, vt cum ab amicis rogaretur quãobrem neminem eorum à quibus lædebatur ſupplicio capitis afficeret? Vtinam, inquit, mihi liceret mortuos ad vitam reuocare. Ad priuatas namque iniurias ignoſcendas, ſciebat ſapientiſſimus vir oportere principem eſſe facilem ad ignoſcendum, ſicut & in eis qui Rempublicam lędunt, ſeuerum. Neque tuis etiam maioribus Scotię regibus minus ſtudiũ fuiſſe ſummos viros in his eximiis virtutibus imitandi Malcolmi Regis egregiũ, & memorabile facinus teſtatur, quod vt poſteritas meritis ſemper extulit laudibus, ita & minimè hoc loco preteriri debet ſilentio. Erat certè is Malcolmus princeps amicitia facilis, bello clarus, & liberalis in omnes.

Polid. Vir. Aug. hiſt. lib 10.
Hector Boetius. lib.9. hiſto Scotorum.

Tantis tamen virtutibus nequiuit domeſticũ odium, quod ex inuidia (quæ perinde ſolet potẽtes inſequi vt miſeros miſericordia) ortũ erat euitare. Cũ enim ex minoribus aliquot in regẽ ſuum coniurati, magno ſtudio proſe quiſque locũ, & tempus obſeruabãt, quo ſine ſtrepitu illum ferro, aut veneno opprimerẽt, cumq; talia diutius clàm machinarentur, cœpit de parricidio conſiliũ cum multis cõmunicatum, paulatim tandem ita detegi vt Malcolmo innoteſceret: Is ꝓpterea neq; ira motus, neq; vindicandę iniurię cupidus haud quaquã iuſſerat ſtatim de ſontibus ſupliciũ ſumi: ſed vt magnanimus princeps ipſius authorẽ tantũ cõiurationis, hominẽ licet natura ferocẽ, manuq; promptũ inter venandũ cum offendiſſet, de induſtria, quaſi cum eo aliquid ſecretius acturus, ſeparatum ab aliis ſolus ſeuocat ſolum: ídque in vallem vndequaq; ſyluis opacam & tectã ibi hominẽ ad ſingulare prouocat certamẽ, vbi non ex inſidiis res ageretur, ſed vter virtute maior eſſet, is euaderet ſuperior: ibidẽque ſepoſitis equis ſic loquutus fuiſſe traditur. Sumus hic, vir fortiſſimè, ambo armis & viribus propè pares vbi neuter noſtrum à ſuis auxiliũ expectat, Age igitur, vt fortem decet, arma capè atq; cum eo nunc manum cõſere quem turpeter, tu cum cæteris cõiuratis per inſidias interficere ſtatuiſti: Si quidem pugnando me occideris, merebitur vi-

ctoria laudem,ſin decubueris nobilem victi mortem reddit victoris honor. Hæc vbi effatus eſſet ſtricto ferro hominem aggreditur: At ille partim ſceleris conſcientia, conuictus, partim regis animi magnitudine territus ei in genua ſupplex procubuit veniam delicti afflagitans, rogitánſq; ne ſibi vel ſociis tanta temeritas imputaretur. Quod Malcolmus lubens conceſſit, ea tamen lege ne deinceps ille vnquam particeps taliũ conſiliorum fieret, ſi ſe ſaluum eſſe vellet. Poſtea vero quamquam nonnulli ex nobilibus eum adhortarentur, vt aut de illis ſupplicium ſumeret, aut ſaltẽ in exilium eiiceret, noluit tamẽ: Sẽſerat enim magnanimus princeps coniuratos illos vltione minimè prouocandos, ne forte alios ad ſimilẽ audaciam irritaret. Quod igitur eos nõ egerit in crucem clementiæ erat: quód ignouerit excelſi & inuicti animi, quod vero in exilium mittere noluerit, prudentiæ, ne forte per orbem huc illuc vagabundi de nomine ſuo ac fama derogarẽt. En fortitudinis plenũ Malcolmi ingenium, en mitiſſimus illius etiam in coniuratos animus, quem à Feritharo, & aliis ſuis maioribus Scotiæ regibus (qui pari erga ſceleratiſſimos etiam conſpiratores vtebantur clementia) didicit, hauſit, & quaſi cum imperio accepit: Hunc eundem quoque animum longa deinde poſt ſecula in tuum iam regium pectus Sereniſs.

Regina quaſi transfundi & in te à teneris ſemper vnguiculis eluceſcere perſpicuè obſeruamus. Nunquam igitur a Maieſtate T. recedat eximia illa manſuetudinis & clemētiæ virtus, promptuſque ad munificentiam animus, quo fiet vt iucundiſſima beneficiorum qnæ in alios (quantumuis eorum plerique indignos ſe deinde prǽſtiterint) abundè contuliſti, recordatione, tuam poſſis non ſine ſingulari voluptate mētem alere, & dulciſſimi obſonij loco habere. Ita demū Deum omnis liberalitatis, & clemētiæ fontem, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ptobè imitaberis. Etenim miſericordia domini ſupra omnia opera eius. Hæc ſanè ratio eſt qua illum tibi propitiū reddes, cuius inſignem beneficētiam toties in grauiſſimis experta es periculis, ex quibus te freqūetiſſimè mirum in modum eruit, & quotidie ſeruat: quo nullum euidentius ſuæ erga te benignitatis ſummæq; ſuæ de te curæ argumentum dari poterit. Quæquidem omnia, tecū indies altius memoria repetens, eidemque de illis quàm maximas gratias agens, magno certè affici debes ſolatio. Eundem ergo Deum Opt. Max. qui te per mare per terras, perque tot rerum diſcrimina hactenus incolumen eſſe voluit, nunquam nō ante oculos habeto, & illius tanta in te beneficia pia grataque mēte, vt facis, recolito. Is eſt profectò qui te in cunis vagientem, ſe-

Beneficiorū Dei grata memoria.

ptemque dies vix dum natum, optimo rege patre tuo ſublato, ab hoſtium qui te extinctam cupiebāt iniuria liberauit. Is eſt qui poſt maximas ſubditorum tuorum eadē de cauſam cædes, poſt quāplurimas ciuitates, atq; vrbes incēdio abſumptas, & ſpolia ampliſſima per hoſtes abducta, cum ne locus quidem tutus in regno tuo reperiri poſſet, vbi ſecurè citra hoſtium iniuriam educari poteras, corpus tuum tenerrimum per maria non minus ſæuis fluctibus iactata quàm inſtructa naualibus inſidiis, ad coniunctiſſimas nobis gallię oras incolumen deduxit. Is eſt qui te ibidem egregiis animi virtutibus, & dotibus verè regiis imbutam, vimi ex potētiſſimis Chriſtiani orbis monarchis ſacrata coniugij fide iunxit, ritúque ſolemni ſociauit. Is eſt qui tibi ad illa ſummi honoris culmina, apices quæ non modo aſcenſum preparauit. Sed & eo loco magna animi modeſtia nec minori humanitate atq; gratia te ad perpetuum nominis tui decus, ſumma omnium admiratione ornauit. Is eſt itidē qui te rurſum reuiſendę patrię dulcedine illectā nō abſq; graui periculo in Scotiam ſaluam reduxit, & auito ſceptro reſtituit, in ſedibus tuis tuis regiis ſtabiliuit, ac ſolo Maieſtatis T. nutu atque pręſentia omnes graſſantium tumultus compeſcuit, cōmunem quietē, & tranquillitatem publicam cunctis regni tui indigenis inopinatam reddidit, pacem cum

omnibus exteris principibus aluit:à quibus te amari,coli,obſeruari, & ampliſſimis tum muneribus, tum honoribus decorari curauit.Is deniq; eſt qui te ſumma omnium gratulatione pulcherrima prole parẽtem fecit, qua re vna nihil vniuerſo regno tuo gratius accidere potuit. Is poſtremò eſt protector tuus,qui cum rapidiſſimo quorumdã impetu,in firmiſſimũ pręſidium coniecta fuiſſes, inde præter omnẽ ſpẽ, & expectationẽ eductã liberauit:ac ſuo diuino munere,in huius clariſſimę.Principis ſororis tuæ(tibi prę cęteris omnibus charæ) fines, ob illam quã in ipſius virtute, amicitia & benignitate repoſitã habebas fiduciã te ſponte deſcẽdere voluit,ídq; eo vti arbitror,animo, vt hic ab hoſtiũ omniũ iniuria & inſectatione libera (donec ipſe ſcelera quorundam vlciſcatur)tutò ad tẽp⁹ quieſcere poſſes. Et ego ſanè magna ſpe ducor te aliquando eiuſdẽ principis beneuolẽtia in patrios fines auſpicatò reſtitutũ iri, & regio diademate plenóq; tuo, ac auito redditũ iri imperio, ſumma tum populi tui, tum procerum gratulatione, ſolita & iure debita regni gubernacula ſuſcipies: quibus ad noſtram tranquillitatem, publicã Scotiæ quietem, ſolidæque pacis conſeruationem Dei munere ſis fruitura.

Horum omniũ frequens meditatio, Princeps nobiliſſima, debet eſſe omniũ conſolatio,dolorũ fomentũ animi monumẽtum di-

uinæ erga te benignitatis ac indulgentia: vt cũ huiuſmodi rerum ſerenitas tua penitius meminerit, & imis cogitationibus in mente defixerit, ad ſuam veterem, atque perpetuã firmitatem animi referat, atque cõſtantiam. Et quemadmodum ego pro ea quam in Eccleſia ſuſtineo functione diuinam Maieſtatem, vt id totum abundè tibi concedat, aſſiduè, obnixéque deprecor: ita & per frequentiſſima illa quæ in te liberaliſsimè ipſe iam contulit beneficia oro, obteſtórque vt magna fiducia (quod facis) illius ereptricẽ manum ab iſtis omnibus ærumnis expectes. Neque enim fas eſt illi tametſi cunctanti aliquando diffidere. Nam dubio procul, vt omnia cunctis eum diligentibus in bonum cedunt, ita iſtas magnæ tuæ patientiæ exercitationes in commodum tuum vertet.

Liberorum Procreatio magna in hac vita, fœlicitas, parentum quoque & liberorum motuus amor.

CAP. XII.

HAbet itaque ex his Prud. T. quæ ſedulò meditari, quæ mente reuoluere, & quæ ad animũ ſæpe reuocare poſsit. Verũ nõ minore & illud quoq; te voluptate afficere debet, quòd ea tibi fœlicitas cõtigit, qua nulla maior in hac vita aut optari, aut homini accidere ſolet. Chariſsimus filius tibi Dei munere dat⁹ eſt, & corporis venuſtate, & mẽbrorũ omniũ diſpoſitione omnibus numeris elegãtiſsimus qui certè regij ſtẽmatis origine,

Gratulatio ob chariſsimi filij procreationem Vnde magna conſolatio.

& antiqua maiorum propagine dignus eſt, qui inter clariſſimos Principes annumeretur. Accedit quoque quod tantæ ſpei indolis, atque animi (Deo gloria) eſſe dignoſcatur, vt maiorum ſplẽdorem ſua virtute illuſtraturus videatur. Quid hac eximia fœlicitate ornatius ? quid hoc pulcherrimo ornamento fœlicius? Quid enim? Annon illud inter omnia Dei beneficia populo Iſraëlitico eius audienti vocem, & mandatis obtemperanti quaſi preſtantiſſimũ munus per Moyſen pollicitus eſt Dominus ? nonne & hunc beatum & fœlicem cui liberi darentur, & lõgè fœliciorem qui videret filios filiorũ ſuorum ſicut nouellas oliuarum in circuitu menſæ ſuæ, Regius illæ Propheta Dauid cecinit? Nonne & hæc eſt inſignis illa merces, & benedictio, quam Dominus Abrahamo promiſerat, cum ſe multiplicaturum ſemen eius, ſicut ſtellas cœli, & arenam quæ eſt in littore maris ſacro fœdere inito pactus eſt? Siquidem ipſa proles, dulciſſimus eſt nuptiarum fructus, firmiſſimum coniugij vinculum, & indiuiduæ ſocietatis ac omnium diſſidiorum inter coniuges vera cõciliatio, ſumma denique coniugum voluptas, gaudium ac deliciæ. Ita afflictiſſimæ Scotiæ æmunis, maximæ ſpei Princeps noſter, tuus chariſſimus filiolus finem tandem aliquem impoſiturus, atque ſolidum nobis tot malis defeſſis ſolatium quod ipſa maximopere ſi-

tis, allaturus videtur. Et certè mirum non eſt te ſumma de tantæ ſpei filio voluptate capi: Etenim quoties ſuos quis intuetur liberos, toties ſua viſcera, ſuíque cordis penetralia, intueri, toties ſuam mentem, animúmque videre, toties non alium à ſe, ſed ſemetipſum in ipſa prole cernere ſibi videtur. Nullo ſiquidem arctiore vinculo homo homini iũgitur, nullo minus ſolubili nexu, quàm eo quo parentes liberis cõciliantur. Multa volumus patriæ debere, multa parẽtibus, multa demum amicis, ſed filiorum cauſa omnia volumus: imo per ferrum, per flam̃mas, itur intrepidè, ſi filiorum charitas poſtulat, nullius incolumitas homini ſuauior: nullum funus acerbius, magíſque luctuoſum hinc grauiſſimè Poeta ſcribit *Seneca in hipp. act. 4.*

O nimium potens,
Quanto parentes ſanguinis vinculo tenes
Natura, quàm te colimus inuite quoque:
Occidere volui noxium, amiſſum fleo

En quantus parentum in filios, licet etiam ingratos ferucat autor, cuius rei eximius Rex ille Dauid luculentiſſimum nobis reliquit exemplum, qui cum à filio ſuo Abſalone Regio deturbatus eſſet ſolio, eundem tamen prælio victum, mediáque fuga interfectum tàm dolenter fleuit, vt fletus ipſi inuidiæ apud exercitum fuerit, maiori etiam futurus, niſi amicorum admonitu lachrymis ſimulatum admiſcuiſſet gaudium. At longè feruẽ- *2. Reg. 18.*

tiorem eſſe matrum in liberos amorem cùm ne ſuis quidẽ finibus ſuum mœrorẽ, aut lætitiam continere poſſint, tùm Romanorum, tùm Chartaginenſium matres, & aliç quoq; multç ingẽtem exemplorum copiam nobis reliquerunt. Namque tertio bello punico cũ ex omni nobilitate Chartaginẽſium lectiſſimi adoleſcentes obſides in Siciliam mitterentur, matres eos fletu, & lamẽtatione querula ſunt ad naues vſque comitatç. Tùm ex his quçdam à filiorum complexibus auulſç, vbi orã ſolutam, nauémque portu egredi viderũt, dolore ſtimulante in ſubiectos fluctus deſilierunt. rurſum cùm multi bello punico ſecundo, Romanis legionibus ad Thraſimenũ & Cannas cæſis falſò crediti eſſent periiſſe, eſſétque nonnullorũ vita iam temere deplorata, cùm repentè matribus oblati fuiſſẽt, tantã læticiæ molem illarũ animis effudere, vt velut ſubita ruina oppreſſæ inter oſcula, & cõplexus expirarunt. Tanta támque inſignis prima, & optima rerum natura, pietatis eſt magiſtra quæ nullo vocis adminiſterio, nullo vſu literarum indigens, propriis ac tacitis viribus charitatem liberorum parentum pectoribus, & viciſſim parentum, liberorum animis infundit. Non enim defuere ex liberis qui ſummi amoris indicia erga parentes ſimiliter ediderunt. Etenim cũ captus eſſet à Saleuco Syriæ Rege, Demetrius
Plutar. in Aſiæ & Macedoniæ Rex, Antigonus eius fi-

lius Regni quietus poſſeſſor, Regiā purpurā cū lugubri veſte mutauit, atque inter continuas lachrymas ad vicinos Reges legatos oratum miſit, vt pro patris liberatione operā dare vellent. Ipſe quoq; ad Seleucum miſit qui regnum ac ſeipſum quoque obſidē pollicerētur, ſi carcere patrem liberaret. Interea Demetrius pater per amicū, in hoc miſſum filio Antigono mādauit pro nihilo duceret, ſi quid ſcriberet à Seleuco compulſus: neq; ciuitates illi concederet. Sic pietas certabat cū pietate: Pater ſui negligens volebat parci filio, filiíque regno: filius vero patris libertatem, & regno & ſeipſo priorem habuit. Leo quoque Imperator Cōſtantinopolitanꝰ Imperiū à Leone auunculo per manus acceptū cum pacatè regeret, otióq; & opibus floreret, Zenom Iſaurico patri ſuo ſpōte id tradidit: indignē, credo, ducens, ac nefarium imperare, vbi pater priuatus ageret. Hanc filiorum etiam erga matres pietatem teſtatur Artaxerxis primi Perſarum Regis in matrem Pariſatidem amor apud quem maritalem amorem materna pietas vicit. Nec his eſt inferior Cordillę leyri Regis Britonum iunioris filiæ, & eiuſdem gentis poſtea Reginæ in patrē pietas: qui cum à generis ſuis (quibus duas filias maiores natu deſponderat) eius mortem moleſtùm expectare cenſentibus regno ſpoliatus eſſet, ad Cordillam, quam indotatam cuidam Gallo, puellæ

demetrio.

Polidorus Virg. Angliæ hiſt. lib.1.

forma capto, collocauit, confugere coactus eſt. Huius opera pater in regnum reſtitutus, interfectis duobus illis generis, reliquum vitę in otio & opulentia exegit. Cęterum, nę in re ſatis omnibus perſpecta prolixius hę-rere videamur, vel hoc vnico argumento ingens matrum erga liberos amor cognoſci poteſt. Nam philoſophorum iudicio inter omnes dolores quibus in hac vita torqueri ſolent mortales ille quem in partu ſentit mulier acerrimus eſt, verumtamen ſtatim vt partum videt, non modo doloris omnis obliuiſcitur, ſed etiam tanta plerumque voluptate perfunditur vt prę gaudio in lachri-mas erumpat. An igitur hoc medicamento aliud pręſentius reperiri poterit, quod ſolo aſpectu tantos comprimere ſedare que poſ-ſit cruciatus? Sed quanta ſit horum animi affectuum vis, quę quoſuis, quantumuis a-cerbos dolores tam modico temporis mo-mēto eluat, atque tollat, in partu ſuauiſſimi tui filij cùm in lucem ederetur, aliquādo ſa-tis es experta, verum quemadmodum tunc ſubitam illam viciſſitudinem & commutationem mœroris in gaudium, & triſtitię in ſummam voluptatem ſenſiſti: ita ſane mihi perſuaſum habeo, ſi modo is nunc adeſſet, nō minus te vel ſola illius pręſentia ab omni egritudine curatum iri. Non enim dubito quin protinus omnes animi tui motus, doloréſque, ille ſolus compeſceret: & ſum-

mam denique tuę menti adferret lętitiam illius adferret intuitus:hunc enim ardentiſſimè amare, cupidiſſimè videre velle, & maternis vberibus amplecti, ac retinere nunquam,ſat ſcio,optare deſinis.Atque vtinam cœlitus concederetur vt eum coràm cerneres.Materni tunc amoris ſigna, certum eſt, & voce & geſtu ederes:nec tuarum eſſet virium tete à profuſo gaudio continere: quin in hanc iucundam cum poëta vocem proremperes.

Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus
Nate meum nectar, quòd ſi mihi ſemper adeſſes,
Non equidem omnino capta,aut deſerta viderer:
Omnis,nate,in te charæ ſtat cura parentis.

Verum enimuero quę alta mente ac cogitatione reponimus, non minus quàm quę fidelibus ſubiecta ſunt oculis cernere ac intueri videmur. Eſto igitur cum pręſes apud illum iam eſſe non potes, in imagine illa, quam in tacito pectore de filio te noui habere repoſitam,ſemper hęreas:vt inde amori tuo aliquid des oblectamenti,contemplare ſaltem memoria eum ſępiſſime tecum pręſentem,verbáque tenerrimę ſuę ętati cóſona proferentem, & tuo dicto audientem (vti non dubito illum facturum ſiquidem corpore tecum adeſſet) & à nutu tuo pendere paratum.Denique cogita, & ſi corpore diſiunctus ſit, animum tamen cum tecum habere communem, atque ita in vobis fiet

Reipublicæ ſalutem probè fungatur. Quod vt fiat interea illum tuis ſaltem literis, cum ſecus vix liceat, frequenter admonere non deſinas, vt ea præcepta quę optimus ille & Deo maxime charus pater Tobias, moriturus filio ſuo commendauit, feriò, & fideliter diſcat, memoria teneat, in tabulis cordis ſui inſcribat, & quotidiè cum primis recitet, & deniquè eadem opere exequi conetur. In illis enim etſi pauciſſimis verbis, eorum omnium quæ pium, & iuſtum virum in hac vita præſtare decet, quaſi ſumma quædam, & breuis epitome continetur. Ita enim vir ille ſanctus, ſapiēs, iuſtitia & integritate plenus filium ſuum erudiens, quibus moribus, & præceptis parentes omnes curare debent ſuos imbui & educari liberos, ſuo exemplo piè, ac religioſè inſtruit, vt in ſacra hiſtoria, cernere licet.

Atque hæc ſane ſunt quæ tuæ amplitudini eſſe debent iucundiſſima, & quauis ambroſia pectori mortique tuę longe ſuauiora. Quin imò & alias quamplurimas poſſem huiuſcemodi adferre ſpiritales dapes, atque delicias, ſi in recolendis, aut corporis, aut fortunæ, aut animi tui egregiis dotibus hærere liberet. Magna equidem cuiuſmodi, præclaráque ſunt quęque breuiſſimè memorari poſſent quàm nitidus tuę quęſo decor iuuentæ, quámque venuſtas lōgè vberior. Quàm lepidus formę cumulatus ho- *Bonorum*

corporis & fortunæ recordatio iucunda, pro quibus frequens Deo reddenda eſt gratiarum actio.

nos? Ec cui mortalium fortuna pari fauit auſpicio. Primo quaſi ortu pater regno tibi ceſſit, póſt Rege cóiuge fortunatior facta es, poſtremò partu etiam beatiſſima. Regem namque futurum, ipſa innumeris regibus prognata, ediditi, qui nobis ſit quaſi magnę ſpes altera Troię. Cęterum has corporis, & fortunę dotes te nó modo virtutibus ęquore, ſed & eiſdem longo interualo ſuperare videbit facile is, qui ingenuos illos quos edocta es mores, inſpiciat, virgineam verecũdiam, caſtum pudorem, liberalem vultum, regiumque animum, qui religioſa deniquè pię mentis ſacraria, ſanctoſque animi receſſus & pectoris tui penetralia, quę omnia geſtu & ore ſatis elucent, intueatur. In his omnibus, vt fortunę bonum, & corporis venuſtas quantumuis excellat, meritò poſtremas, ita eximię in te, plurimæque virtutes primas partes iure ſibi vẽdicant. Et quãuis hæc virtutum tuarum commemoratio ſuperuacanea forſan videri poſſet, nemo tamen adulandi cauſa hęc me dicere exiſtimet: Nam ab hoc peculiari aulicorum vitio mea me vitę conditio (vt de genio ingenióque meo interim taceam) abhorrere iubet: vt qui probè ſciam cuncta quibus ornata es munera ſolius Dei munificentiſſimi benignitate donata eſſe. Verum ita nos fuerunt noſtri affectus, vt ea quæ delectant ſępius inculcemus, ita vt in illis commemorandis haud

haud facile modum inueniamus. Deinde, vti verè ex animo lętamur omnes, gratiáſque datori immortales habemus, excellentiam tuam hiſce diuinitus dictatam eſſe beneficiis, ita eundem optimũ maximum deprecari non ceſſamus, vt ea fœlicitas tibi ſit perpetua. Quæ nimirum eò facilius ſuccedet, ſi diuinæ erga te liberalitatis nulla vnquam te capiat obliuio nec deſinas illi quotidiè laudes decantare: Ita demum fiet, vt & ipſe ſua dona in te adaugeat, afficiatque vt tuo quoque exemplo alij principes ad illas conſectandas incitentur. Sic etenim vt & nos, veteres ſoliti ſunt, illuſtriũ principum, non ſolũ virorũ, ſed & fœminarum egregias dotes, & virtutum ornamenta commemorare, vt illę rerum memorabilium diligentiſſimus concinnator Plinius mâgnę fœlicitati tribuit quod Lampedo Lacedemona electiſſima fœmina regis filia, regis vxor, & regis mater fuerit. At ego tuam longè maiorem cenſeo fœlicitatem, quòd hęc omnia, & lõgè plura id genus quàm cuiuis alteri hoc noſtro ſęculo diuini numinis fauore tibi contigerint beneficia. Cui hoc epigrammate gratulari placet.

Plin. lib. 7. cap. 41.

Fœlix ô multum fœlix, quæ regia proles,
Regis Lampedo, mater & vxor erat.
At tu ter fœlix Maria es quæ filia Regis,
Totque hæres regum regis & vxor eras.
Præclarum & regem peperiſti munere diuûm

Mariæ ſcotorum Reginæ fœlicitas quod Regis filia & heres, Regis vxor & Regis

mater ſit. *Matris vt & ſobolis ſtirps ſine fine regat.*

Cum igitur ſapiētia prope ſingulari Maieſtas tua ſit prędita, debes certè iſtis tuis potius delectari bonis, quàm quibuſuis irruentibus grauari malis. Verum nulli vnquam in hac vita fœlicitas contigit, quę ſiniſtros obtractatorū morſ' vitare potuerit, & quo ſeceſſu quoſdam fugeris, aut in ſulis miſericordię permulſeris non cohibebis, ne vt alienis malis perinde ac bonis ſuis lętentur, & geſtiant. Diuites ſe nonnulli putant aliorum damnis, locupletes cęlamitatibus, immortales funeribus. Sed illi quatenus alienis, ſuorum adhuc expertes, incommodis inſultant, optima iſtius vindex inſolētię varietas humanę conditionis viderit. Mirari nemo certè debet hanc rerum mutationem tibi iam accidiſſe, cùm ea cum multis aliis principibus tibi ſit communis, cúmque totus hic orbis mutationi ſemper fuerit obnoxius: tempora nimirum, ſtellæ, cœlum, mare, terra, regna, populi, beſtiæ, & multò omnium maxime, homo ipſe. Nihil itaque cum ſit ſub ſole perpetuum, quis, niſi mentis inops, eodem ſtatu ſemper permanere ſe poſſe exiſtimabit? Nunquid curſum mundi, & ordinem ejus qui perpetuis mutationibus ſubiectus eſt, poterit qui inuertere? Nūquid Dei poſſumus reſiſtere voluntati, qui hanc rerum omnium viciſſitudinem ſtatuit? & non potius meminiſſe quod canit ille.

Fœlicitatis come inuidia.

Nulla fœlicitas in hoc orbe perpetua.

Omnia mutationi obnoxia.

Ipſa vices natura ſubit, variatáque curſus Ouid.
Ordinat, inuerſis & frontibus explicat annum.
Magni ſæpe duces, magni cecidere tyranni
Et Thebæ ſteterant, magnáque Troia fuit.

In hominum itaque ætate multa eueniũt eiuſmodi: capiunt voluptates, mox rurſum miſerias: iræ interueniunt, redeunt rurſum in gratiam. Etenim vt grauiſsimè ſcribit, Sophocles: quæ aliquando fuere iucunda ſtatim amarulenta fiunt: & paruo deinde tempore, ad ſuam ſæpe redeunt dulcedinem. Quę omnia, etſi pręter hominis mentem, & expectationem ſępenumerò contingant, nihil tamẽ ſine nutu Dei. Qui in peccatis hominum tormentis, carceribus, exilio, pœnis, & in quibuſcunque denique malis ita ſe gerit, vt ea omnia in gloriam ſuam, ſuorumque ſalutem ſuo tempore conuertat. Proinde ne quicquam eorum de quibus nos dicturos polliciti ſumus, ſilentio preterire videamur: poſteaquam haſce exquiſitas epulas, ſapore gratas, concoctuque faciles, quibus animum, mentemque ſuſtentare poſsis regiis tuis appoſuimus menſis: nunc ad ea tandẽ quę vti menti noxia, cauere, declinaréque debeas, ne morbos nunc depulſos aliquando renouent, noſtra feſtinat oratio. Ita enim locus hic poſtulat: ſiquidẽ ea preſcribere, quę fugienda ſunt non minus ad tuendam tum corporis tum animi ſanitatem, quàm quę amplectanda, optimi regiminis

ratio,ordóque exigit.

Quæ præcauenda ne mens tranquilla turbetur, ex hiſtoriarum lectione regibus valdè vtili depromi poſſunt. CAP. XIIII.

ITaque vt tandem de hiſce nõnihil etiam in medium adferamus, hoc mihi perſuaſum habeo (cum ſatis probè norim tuum animum) non eſſe tibi tanti regnum, regioſue honores, ampliſſimáque dominia, vt eorum cupiditate, velis vel latum quidem vnguem à vera animi ſententia,& mẽtis fortitudine diſcere: Verumtamen his orbata rebus, quibus & natura te, voluntas, & conſuetudo à teneris vſque vnguiculis aſſuefecerat (etenim nata es ad agendum ſemper aliquid principe dignum) poteris fortè, cum hæc in mentem veniant, tibi ipſi aliquando diſplicere. Tales certè cogitationes non minus fugiendæ ſunt, quam quę per medicos prohiberi ſolent, quæ recidiuas febres gignere poſſunt, mali ſucci dapes. Cętérum quia & hę nonnunquam te premere,& ſubitis tanquam hoſtium incurſionibus mentem percellere poterint, hiſce primis animi tui epulis, quibus regium hoc inſtaurauimus ſympoſium ſecundas etiam quas vocant menſas, quę lautiſſimum quaſi deliciarum cumulum adferre,& ſua nobis voluptate o-

rexin titillare ſolét, addendas eſſe duximus: quibus non modo leuari poſſent omnes tuę moleſtię, ſed & penitus tolli. Neque minima certè adferent ſolatia, ſed (vt ego quidem cenſeo) maxima: quę animum tuum ab omni ſolicitudinis turbine munire queant: Nam hęc eadem ego ipſe (ſi liceat magnis componere parua) experiens quotidie, ſic probo, vt ea mihi pręſentem ſalutem adferre videantur, nec verò minus illa ampliſſimis, inſtructiſſimíſque regum menſis, quàm infimorum hominum auguſtis, & ſine arte menſulis conueniunt: neque hoc tempore melius quicquam inueniri poteſt, in quo acquieſcamus. Sed vt de deliciis ipſis de quibus ago, ipſa tandem planè intelligas, non equidem de tibi ignotis(quod eſſet difficilè) verùm probè cognitis bellariis loquor. Satis etenim memoria teneo, te ab infantia ſummè bonarum literarum ſtuſtioſam fuiſſe)omniáque, quę vel à ſapientiſſimis ad bene viuendum tradita ſunt, ſumma cura, ſtudióque didiciſſe: omnia inquam, quę vel pietati, vel religioni, vel optimis rebus, & vſui, & delectationi eſſe poſſent. Verum enimuero pręſentis noſtri inſtituti non eſt, tuam eximiam prudentiam nũc temporis in voluendis illis arcanis diuinę theoſophię miſteriis detinere: ſed vt in hoc dũtaxat ſtudiorum genus incũbas, quod vti dignitati

tuę maximè conuenit,ita cum facilitate delectationis, atque vtilitatis rationes cõiunctas habet:Illud inquã, quod multorũ prudentium, & doctorum induſtria in diligẽte, & accurata hiſtoriarum tàm ſacrarũ, quàm prophanarum lectione potiſſimum conſiſtit,quarum cognitio etſi omnibus illis, vel minimis, qui in Republica adminiſtranda quoquo modo verſantur, admodum conducit, tamen regibus, magníſque principibus,& iis qui rerum gubernandarũ clauum tenẽt,in primis vtilis eſt, & neceſſaria.Quãdoquidem ex hoc hiſtoriarum prõptuario exquiſitiſſimas eſcas variique generis delicias, quibus in ſecundis quaſi tuis menſis magna cũ voluptate frui queas facile licebit deſumere.Ex hoc vberrimo hiſtoriarũ fõte, ſaluberrimi quodque,& efficaſiſſimi potus genus, qui omnẽ pellat animi mœrorẽ noxiáſq; prohibeat, cogitationes haurire poſſis.Ex hoc deniq; locupletiſſimo hiſtoriarũ theſauro,idquod quibuſuis gẽmis,auróque lõgè prętioſius,& ad trãquilitatẽ mẽtis tuẽdam,& conſeruãdam, apprimè conducens minimo certè negotio poſsis depromere. Hic nimirũ eſt ille regius theſaurus qui (vti doctiſsimus ille teſtatur Thucydides) nunquã è principũ manibus excedere debet: Tã neceſſaria res eſt iis qui reipublicę prę-ſunt.Inde enim quàm facilimè cauęre, & proſpicere ſibi diſcant quid in imperiis

fugiendum,quídne amplectendum ſit: cum eædem rerum viciſſitudines quaſi in orbem ſeſe referāt. Tametſi enim perſonas interim mutari temporis diuturnitate ſit neceſſe,negotiorum tamen ſimilitudo, & ſtabilis illa, vt ita dicam, rerũ inſtabilitas & perpetuus rerum ordo, ſemper ſibi ſimilis permanet, Nec eſt quidquam,quod quenquā deterreat ab hoc liberali admodũ ſtudio: ſiquidē hiſtoriarum cognitio adeò peruia & facilis eſt, vt eam quiſque etiam abſque aliarum diſciplinarum adminiculo, & citra præceptoris operam ſola lectione per ſe aſſequi poterit. In illis quoque reuoluendis tanta voluptatis magnitudo vt qui ſemel ad id ſtudij ſe tranſtulerit ea delectatione, & auiditate rapiatur, qua poſteà nunquam niſi inuitum, ſe inde auocari ſit paſſurus. Vtilitas verò inde patet,quod eo conſilio omnes tum ſacræ tum prophanæ ſcribantur hiſtoriæ, quo pietatem ab impietate, virtutem à vitio diſcernere poſſimus: eaque ſcire quæ vel diuinæ Maieſtati grata ſint, vel ipſius erga nos iram excitent: & in ſumma quid quid quemque (cuiuſcunque ſit gradus aut ordinis homo,) deceat, quid non. Etenim ueterum annales nihil aliud quàm bonorum, illuſtriúmque virorum, atque fœminarum præclara facinora, vt imitemur, contrariáque aliorum, vt fugiamus, ob oculos nobis quaſi in tabula proponũt:

Hiſtoriarũ omniũ ſcopus & finis.

Ita vt ad omnem fortunæ aleam æquo animo ferendam, niſi nos ipſos deſtituere velimus tutiſſimo quaſi præſidio nos muniant atque firmiores reddant. Hanc igitur ſedulam, accuratámque hiſtoriarum lectionem Maieſt. T. omni qua poſſum mẽtis humilitate, ac ſtudio commendo, vt his quaſi exquiſitis deliciis, quotieſcunq; vlla aduerſa impetunt, ac premunt, animũ tuum probè reficias. Idq; eò lubẽtius facio, quòd hæ ſolæ perſuadere tibi poſſunt, atque afficere, vt dum aliorum regum ac ſummorũ principũ acta, mores, ſtatum, variáſq; regnorũ, monarchiarum, & rerũ publicarũ mutationes quaſi lucidiſſimo intuebaris ſpeculo, ea cũ rebus ætate noſtra geſtis conferas & abunde tibi ſatisfacias, cum oculis, animóque perluſtrandis nihil eſſe noui, nihil intolerabile, nihil cuius non ſimile etiam aliis magnis principibus anteà contigerit, nihil denique quod ſua ſecum non adferat commoda. Etenim eorundem principum edocta exemplo, hæc omnia, & alia quæuis, quantumuis aduerſa, excelſo, fortíque ſuſtinebis animo.

Paradoxa quædam vti apparet, ea tamen veriſſima. CAP. XV.

IGnoſce, quæſo, Regina Sereniſſima, & pro tua ſingulari humanitate mihi liceat

cũ tua bona venia dicere quod ſentio: Certè,& ſi fortè pręter communem opinionem quædam,non tamen alia quàm quæ validis rationibus & Imperatorũ,regum illuſtrúmque principum, exemplis cõfitmari poſſint, dicturus ſum. Quid enim ſi hanc ſtatus cõmutationem vtiliſſimam tibi fore nõ ſecus, ac ſi plumbum auro,tenebras luce, & terrena cœleſtibus commutaſſes,oſtẽdero? Quid ſi regiam illam dignitatem ærumnoſam,hãc vero priuatã quam agis vitam, magnis deliciis affluentem probauero? Quid denique ſi ſplendida illa regũ palatia minus tum vtilitatis, tum voluptatis, quam priuatas, iſtas ædes, imo quam carceres habere ducuero? Taceo de reliquis,quę hiſce accidere videntur malis: in quibus nihil mali, verũ omnia bona,& in bonum cædunt maximè his, qui Deũ diligunt, quiq; illi placere ex animo ac parere ſtudent.At dicet fortaſſe quiſpiã,hæc quæ per me de regij ſtat' cõmutatione propoſita ſunt, poſſe forſan in philoſophorum ſcholis inter eos qui obſcuris paradoxis aut argutis delectantur, ſophiſmatis aliquã rationis ſpeciẽ præ ſe ferre: verũ apud eos qui iam regiis potiti ſunt ſceptris,aut qui imperio, magiſtratúue quiete fruũtur, quaſi ridicula & leuia procul dubio haberi. Mirum ſanè, & valde mirum videri poteſt, ſi regia dignitas, aut ſummi magiſtratus culmen, fœliciſſimum vitæ genus dici non debeat,

quandoquidem, id multis eſſe putatur bonorum omnium caput, ad quod obtinendum, nulli mortalium ſi liceret, non ſponte ſua feruntur: atque is demum fortunatiſſimus plane eſſe videtur, qui aliis libera poteſtate præeſt.

Regiæ dignitatis ſplendor: honorum & gloriæ cupiditas res miſeriis plena fortis animi honores contemnere & voluptates.

CAP. XVI.

QVid enim homines maiori, voluptate afficere poſſe putatur, quam imperare cæteris mortalibus, ampliſſimo regno præeſſe, omni rerum genere feraci, Regioni tum incolarum, tu pulcherrimarũ vrbiũ frequentia, cum primis admirandę, pręterea & fluminibus veliferis, ac mari portuoſo cõmodæ. Quid honorificẽtius quàm habere numeroſum exercitũ, ingẽtem equitatũ, ſatellitium haud exiguum, vaſtas triremes, immenſam pecuniarũ vim cõgeſtam, vaſorum argenteorũ, aliarũmq; rerum pretioſiſſimarũ ſuppellectilẽ reliquámq; pompã, ſtrepitúmq; ac deniq; apparatũ, q apud principes eſſe ſolet inſtructiſſimum ſimul & cumulatiſſimũ. Quid deniq; admirabilius, quã videre principẽ, dum in publicum prodit, à pleríſq; quaſi Deum quempiam adorari, intueri alios ſeſe mutuo protrudentes

certatim præcurere, vi regij vultus aſpectu vel modico fruantur. Nonnullos, cōſcienſis etiã tectis, magni ducere, ſi eum vel eminus cōtemplari liceat, vel illius ſaltẽ quadrigas, ſtragulámve nedum diadema cõtueri. Tum & videre antè ambulones, & eos qui à tergo comitantur, quantũ gaudij eſſe arbitrantur? quæ quidẽ omnia ſummam præ ſe ferre voluptatẽ, & magnæ fœlicitatis quaſi premia ad ferre videntur. Quotus igitur quiſq; eſt qui imperij ſceptrum, aut regni alicuius diadema oblatum reſpuere, nedum potito ſe abdicare velit? Quis, inquam, eſt, qui inſignia palatia ſplendidas, & verè regias principum ædes cum priuatis ædiculis ac tuguriis, aut potius caueruulis ac ſpelũcis commutet? Quis tandem in exilio potius quam in natali ſolo, apud extraneos potius quam inter domeſticos, inter infimæ ſortis homines, quam inter proceres ac nobiles vitam tranſigere velit? Sunt & alia quędam quamplurima incomuıoda quæ ex hac ſtatus permutatione oriuntur quorum hic mentionem nullam facio, quæ tamen, cuiuſmodi ſint, ex iis quæ hic dicuntur facilè eſt coniecturam capere. Fateor ſanè (Princeps Illuſtriſſima) haſce rationes magnam vim & efficaciam apud eos, qui res duntaxat externas inſpiciunt, habere poſſe: cum nihil vnquam tanti apud homines eſſe ſoleat, quanti eſt honoris, glorię, & imperij ti-

titulus:quod id ſit in nobis à natura inſitum vt quiſque cæteris omnibus preeſſe deſideret. Verumenimuerò quam miſera, vanáque omnino ſit hæc contentio, cupiditas, & ambitio, quis non videt? Plerique eò cæcitatis adducuntur, vt ipſos iuſtitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, gloriæque venandæ laqueum inciderint, adeò, vt facillimè ad turpia facinora perpetranda impellantur, qui excelſo ſunt animo, gloriæquæ cupido. Difficile eſt enim iis, qui prȩſtare cȩteris poteſtate nituntur, æquitatem ſeruare. Taceo, quòd ij qui ſummas rerum tenent, & legitimè cæteris præſunt ac dominantur, intus tot curis diſtringi ſolent vt ſeſe omnium hominum plerumque putent eſſe infortunatiſſimos. Quare apud verè magnanimos heroas præclarum ſemper habitum fuit fluxa, momentaneaque huius vitæ commoda contemnere: honores, diuitias, riſus, conuiuia, ſymphonias, ludos, balnea, vina, dapes, venerem, muſices laſciuiam, ſomnum, otia & vnguenta, ſimiléſque vitæ huius voluptates, pro nihilo ducere: quȩ vt Principum aulas perpetuò comitari, ita duro ſæpe eas exitu euertere ſolent. Multi huiuſcemodi & ſummi Imperatores, & Reges atque Principes, qui fortes, ac magno animo ſapientum omnium iudicio habiti fuerũt, quique multa prȩclara ediderunt facinora, imperia quoque & magiſtratus apud ſuos magna laude

adminiſtrarunt, extitere, qui nihilominus honores illos, quorũ cupiditate multi inflãmãtur, ita contẽpſerunt, vt illis nihil iuani', nihil leuius eſſe exiſtimarint. Neq; verò immeritò. Nã ſicut incerta hęc eſſe ſciuerunt & caduca, ſic ea non virtutis neque ingenij ſed fortunæ ac tẽporum munera eſſe cognouerunt. Vnde factum, vt plerique vera animi fortitudine, non ſolùm honores ſummóſque magiſtratus oblatos recuſarint, verumetiam Imperiis, Regnis, honoribus, quibus in pace & otio fruebantur, ſponte ſeſe abdicarint, vt priuatim deinceps ſibi agere liceret. Et ne hoc tuæ Maieſtati quaſi indignum fide, & per me excogitatum videatur, ſtatui nonnullos antiquæ nobilitatis clariſſimos Principes, non modo exteros, ſed & ex ſplẽdidis tuis maioribus, domeſticos, aliquot teſtes adducere: qui magnam hanc gloriam, in ambitioſorum hominum & vani faſtus contemptum, ſunt conteſtati: prius tamen nonnihil adducere, de ipſis rationibus libet, quibus veriſſimile eſt illos fuiſſe adductos, cur priuatum viuendi inſtitutum publicę & Regiæ dignitati preferre voluerunt. Ita fiet vt non veterum duntaxat exemplis, ſed etiã non obſcuris quibuſdam argumentis plene tibi poſſit ſatisfieri.

Cur priuata vita publicæ preferenda.

Regum vera dignitas & ornamenta illorum munus, & quare conſtituuntur: Regibus obediendũ: Regnum glorioſa ſeruitus.

CAP. XVII.

PRoinde hoc primum conſtituẽdum eſt, omnium ſapientum conſenſu & iudicio, Monarchiam optimum eſſe & prȩſtantiſſimum gubernationis genus atque ideo nihil in hac vita eſſe Regia dignitate magis honorificum, nihil admirabilius, nihil in quo quiſquam mortalium propius ad ſummi illius Regis Dei optimi naturam poſſit accedere. Nam qui aliis præſunt, & dominantur, imaginem quandam ipſius Dei in terris nobis exhibere videntur: adeo vt ille in Prophetis loquens illos non ſit dedignatus aliquando Deos nominare. An igitur quiſquam eſt qui non admirari, qui non ſummo honore Reges proſequi, qui non omnibus animi & corporis neruis illos colere, & illorum Imperio obedire, dictóque obtemperare debeat. Quotidie enim cernimus, cum alicui nationi diuino numine conceſſum ſit vt Regem ſapientem habeat, vt & ipſe Rex ampliſsimum ex moderato ſuo regimine virtutis & ſapientiæ fructum percipiat, & populus vniuerſus omnibus bonis, illius opera & benignitate animi confluat. Reges profectò nobis diuinitus dari ingenue fatendum eſt, ſed tamen non tantum vt in ſupremo ſolio tanquam in ſolis curru illos contamplantes conſtitutos ſummis afficiamus honoribus. Quãtum illi nobis Dei munere quaſi fontes quidam, vn-

de omnem honeſtæ vitę diſciplinem hauriamus propoſiti ſunt. Ab illis namque leges accipiendæ, iudicia poſtulanda, virtutis exempla nobis accipienda ſunt: ab illis auxilium contra perditos homines implorandum, & virtutis premium flagitandum eſt: In illis denique eſſe debet perfugium miſeris, ſolatium afflictis, alleuamentum oppreſsis, & præſidium denique inuocentibus contra improborum hominum fraudem & potentiam firmiſsimè conſtitutum. Cæterum quanquam hæc omnia Regij ſtatus precipua eſſe ornamenta, & debita quaſi munia eaque prętantiſsima multi agnoſcunt: nihilominus ſingula hæc, vti decet preſtare, vitam ſecundum optimam rationem inſtituere, omnes curas, & cogitationes ſuas in Reipublicę ſalutem conferre, hoc opus hic labor eſt. Reges nanque ac ſummi Principes tanto eorum hominum, qui ducuntur in contraria ſtudia cœtu cinguntur, illorum inquam qui aut ſui Principis Philautiæ inſeruirint: aut qui adulationi, ambitioſæúe cupiditati, aliiſque voluptatibus dediti, tantis dolis ſubtiliſſimiſque machinamentis rationem in Principe oppugnant, vt pauciſſimi ſunt Reges qui illorum calliditati & fraudibus obſiſtant: vſque adeo vt in multis ſeculis pauci Reges extiterint, qui hiſce immoderatis hominibus plene moderari potuerint. Quo ſæpe

factum eſt,pro dolor vt voluptuarij iſti homunciones potius Reges eſſe videantur (cũ & Regi & illius nomine populo imperant) quã ille qui in ſublimi cathedra illorũgenio indulgẽs quaſi cathenatus & vinctus ſedet. Quid igitur aliud regnum & regnãdi poteſtas ſi ſincerè loquamur, dici poteſt, quam glorioſa quædam ſeruitus? vti Antigonus Rex,ad filium Demetrium loquens, illud appellat. Cum enim Reges primorum cupiditatibus ſeruiunt, nonne procerum, vt Timoleon ille Corinthius Dux inclytus affirmat,miniſtri ſunt,atque ſerui. Et certè niſi Reges ſuorum magnatum & nobilium iniuſtis etiam ſæpe petitionibus annuant, niſi ipſos impunè in plebem ſeruire,& quemlibet pro libidine viuere patiantur, atrociſſimas protinus contra ſe inſidias ſentient. Quam quidem regnandi formulam, inclyta Regina,ſi aliquãdo ipſa coacta fueris experiri,nihil attinet hic dicere.

Plutar in Timolconte.

Regiæ vitæ cum priuata collatio: Regum ſollicitudo: priuatæ vitæ quies & voluptas.

CAP. XVIII.

Ad hæc,etiam dum externis Reges alũtur honoribus, atque ſolemnibus adorantur pompis, tot grauiſſimis variarum rerum moleſtiis,quas dũ noctes atque dies in animo verſant,intus diſcrutiantur,vt prę-

gran-

dibus illis apud veteres Colloſſis videntur perſimiles. Etenim eorum quiſque quo ad ea, quæ foris apparent, Neptunus quiſpiam videtur, aut Iuppiter, mirificè decorus, auro eboréque compactus: ſed ſi demiſſo & inclinato capite quę ſunt intus inſpicias, videbis vectes, quoſdam & clauos introrſum perminentes & aliàs id genus permultas deformitates abditas & occultas. Huiuſmodi res quędam regnum certè videtur. Nam quemadmodum hominem in tàm ſublime ſupra alios efferri, vt vnus poſſit quamplurimis non tantúm imperare, verumetiam numinis inſtar ab illis adorari, diuinum quiddam & admirandum videtur, cúmque Colloſſi effigie perbelle quadrat: confuſa verò moleſtiarum congeries, quas ęqua mente tacitus ſecum Princeps crebrò circumfert, cum iſs quę ſunt intra Coloſſum probè, niſi fallor conferri poteſt. Quid enim primo loco referam admodum laboro, vtrum metus, curas, ſuſpiciones, odium, quo Regē etiam ij, qui cum illo viuunt, perſequũtur? Deinde & inſidias, atque eas ob res pertenuem quidem ſomnum atque rarum, plena tumultus inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes deníq; incertas. An verò penuriam ocij, occupationes difficillimas veluti eas, quę ſunt circa iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, ſimiliúmque rerum conſultationes. Quibus rebus fit, vt ne per ſomnum quidem aliqua

Lucian. in Gallo.

re liberè frui liceat. Verùm vt his omnibus rebus ſolus proſpiciat neceſſe eſt, milléque qui ſuſtineat negotia? Nec Agamemnona Regem dulcis habebat ſonus, multigenas verſantem pectore curas vt ait ille, Ne tùm quidem cum reliqui omnes Achiui ſtertèrent. Adde quód lydum illum Crœſum ditiſsimum filius mutus diſcrutiat. Perſam verò Learchus ad Cyrum deficiens: atque alium quempiam ex Regibus Dion cum Syracuſanis nonnullis ad auram communicans & ditionem moliens. Rurſum alium quendam vrit Parmenion collodatus. Item Perdicam Ptholomæus, Ptholomæum Seleucus. Tùm ſi qui defectionem parare dicantur, aut duo quatuórue ſatellites inter ſe conſuſurrantes. Porrò, quod eſt omnium grauiſſimum, propinquiſſimi quique vel maximè ſunt formidandi, ab illis ſummopere ſempérque metuendum ne quid magni mali excitetur.

Homer. Iliad. lib. 2. *Herod.* *Plutar. in Dion.* *Dion. in oratione 6. de tyrannide.*

Nam alios à ſibi etiam chariſſimis veneno fuiſſe necatos, alios ſuis Regnis & ſedibus à liberis pulſos, alios captos, alios miſerrimè eiã trucidatos hiſtoriæ ſuppeditant exẽpla plurima: ita vt verè de illis poëta ſcribat,

Muniti glaniis viuunt, ſeptique venenis.

Et alius

Ad generum Cereris ſine cede & vulnere pauci
Deſcendum Reges, & ſicca morte tyranni

Claud. *Iuuenal.*

Multò itaque lætior quàm Regum vita, co-

rum qui ſordida tractāt artificia, videri poſſit, ſicut & tutius multò ex Iri, Codríue pauperrimi fictili haurire poculo, quàm ex aurea Principum bibere phiala, cæterum cicuta aconitóque temperatum.

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro. *Iuuenal Saty. 10.*

Sic lætifera aguut conuiuia atque id innumeris in malis cõſtituti. Poſtremò vbi marceſcentè glória conciderint, perſimiles eſſe videntur perſonatis tragœdiarum Regibus, qui diademata geſtant, argenteíſque capulis gladios, comámque ventilantem, & auro intertextam clamydem, verùm ſimul atque illam exuerint, in media ſcena impulſi præcipites ruunt, nec quiſquam adeſt, qui depreſſos ſubleuet, aut nudatos denuò tegat purpura: quod ſummis etiam Principibus nonnunquam accidere ſolet. Quid, quæſo, verarum deliciarum eſſe poteſt in hac regia vita tanto metu, tot curis, tótque continuis ſuſpitionibus obnoxia? Quid voluptatis capere poteſt Princeps ex epulis etiam exquiſitiſſimis, aut nectare dulciſsimo, in quo ſuſpicatur venenum ſubeſſe? Quis denique grauior mentis cruciatus, quàm ſuſpitio in mediis vndíque anguſtiis, vbi & periculum eminet, & metus nunquam nõ adeſt? Quales autem ſunt Regiæ hæ deliciæ, quibus condimentis míſcentur da-

pes, & quàm non vera lætitia, quæ ipſos capit conuiuantes, Dionyſius, qui Syracuſanis imperauit, vel hoc vnico paradigmate declarauit: Cui cùm Damocles Philoſophus vnus ex aſſentatóribus commemoraret ipſius copias, opes, Regiam Maieſtatem, rerum affluentiam, magnificentiam ædium Regiarum, negarétque vnquam beatiorem quenquam fuiſſe: Víſne, inquit Dionyſius, ô Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipſe tandem deguſtare & fortunam experiri meam? Eúmque ſe ille cupere dixiſſet, collocari iuſſit hominem in aureo lecto ſtrato (quo pro cathedra in Regiis epulis tunc vtebantur) textili ſtragulo magnifico opere depicto: abacóſque complures argento auróque cælatos ornauit: tùm ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eóſque ad nutum illius diligenter miniſtrare. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebãtur: fortunatus ſibi interea Damocles videbatur. Poſt, in medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina aptatum, demitti Rex iuſſit, vt impenderet beati illius ceruicibus. Vndè factum, vt ne ad miniſtros quidem nimio timore perculſus aſpiceret Damocles, nec ad argentea, aureáue vaſa, nec ad epulas, imò nec manum porrigebat in menſam. Iam ipſi præ metu defluebant

Cic. 5. tuſcul.

coronæ:deniq; exorauit Dionyſium, vt ſibi abire liceret quòd iam beatus nollet eſſe. Satíſne videtur declaraſſe Dionyſius beatum eſſe neminem, cui perpetuus aliquis terror impendeat? Proindè quicumque ex iis Icari in morem ſeſe attollunt, propiúſque ſe ſoli admonent, haud cogitantes quòd alas habeant cæra adglutinatas, ingentem certè nonnumquam ſtrepitum in pelagus delapſi ciere ſolent. Ita Crœſus ille Rex quidem ditiſſimus reuulſis alis riſum conſcenſo rogo Perſis exhibuit, Solonem ſæpè compellans, & neminem ante obitum fœlicem pronuncians. Sic & Badudus Britonum Rex dæmonum præſtigiis actus, alas ſibi volandi gratia aptauit, quibus cum altum tolli cæpiſſet, repente cecidit:quo caſu colliſus exceſſit è vita. At verò qui Dedali exemplo non admodum ſublimia, neque excelſa ſibi appetunt, verùm humilia terræque vicina, tutò plerumque ac citra diſcrimen volant. Hos certè mediocri contentos ſorte, & priuatam volentes vitam ducere, non magnopere tangit cura belli, neque ſolliciti ſunt, ne incurſantes hoſtes agros depopulentur. Hi de ſingulis, quæ ſuis apponuntur menſis ſumma cum voluptate omni metu & ſuſpitione vacui ęſitant: nullas ab his, quibuſcum viuunt: timent ſuæ vitæ inſidias, non vt pellantur ſuis ſedibus, nec vt liberi

Polid. virg. Angl. hiſt. lib. 1.

aliíue propinqui quicquam contra eos machinětur mali formidant:ſed curas ſollicitudinéſque mordaces procul abigunt: nullas noctes perplexis cogitationibus prepediti inſomnes ducunt, ſed dulciſſimis oportunè ſe ſomnis recreant, atque indè erecti, huc atque illuc abſque milite aut cuſtode, interdum quoque abſque comite liberam auram captantes intrepidè ſpacientur: Etſi aliquando aduerſæ valetudinis, vel fortunæ caſus quemquam ex illis vrgere cœperit, tũ vxor, liberi, cognati, affines, & amici omnes aduolant, eúmque erigere, onere leuare, & in extremis etiam malis illius lateri adhærere, & ad priſtinæ vitæ ſtatum reducere conantur: Nec prius illum deſerunt, quàm ad ſæcuritatis, vbi deinceps tutò nauiget, portum deducant. Num igitur multò ſuauius tùm edere, tùm bibere, iucũdiúſque ſuis frui bonis videntur priuati, qui latentes viuunt, & glorioſos & nouos titulos, nomináque fugiunt, quàm magnorum plurimi in ſummi honoris culminę conſtituti? Nónne horum vita naturæ duntaxat neceſſitatibus & vſibus circumſcripta regia illa longè videtur tranquillior? None, quæ magna ſunt, magnis etiam implicantur malis? & quæ mediocria ſunt ea optima atque tutiſſima?

Horat. ode 16. lib. 1.

Non enim gazæ, neque conſularis
Submouet lictor miſeros tumultus

Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Viuitur paruo bene: cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leues ſomnos timor, aut Cupido.
Sordidus auffert.

Proinde ſicuti nullus eſt, qui velit in magna licet, pulchráq; naui, atque auro onuſta nauigans vltro ſubmergi: Ita etiam deſiderare non debet quis in ampla magnificáque domo ſedens, curis obrui aut anxietate ſuffocari. Hinc ſapiens quiſque propendere poteſt, quantæ curæ, moleſtiæ, vexationes circunueniunt eos, qui in magiſtratu conſtituti, qui tot caſibus expoſiti eſſe coguntur, & quot mala atque labores purpura tegat: contráque quantum quietis, atque ſpei boni priuata vita pollicetur. Elegantiſſima ſunt hæc Horat.

Puræ riuus aquæ, ſiluaque ingerum
Paucorum, & ſegetis certa fides meæ, *Horat. od. 16. lib. 3.*
Bulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit, ſorte beatior.

Adde quod vti multo tutius, ita ſane tranquillius eſt obedire quam imperare, & ſubiectum eſſe quam præeſſe. Quare alterum optare non tam arrogantis quam prudentis eſt: Alterum verò ſe in omnibus ſubmittentis, & verè ſerui Chriſti, qui miniſtrare venit, non vt ipſi miniſtraretur: *Tutius ſubiectum eſſe quam imperare.*

Cuius omnis vitæ actio nobis ob oculos eſt propoſita, vt qui illius doctrinam profitentur, eius imitentur & mores. Is ſanè cunctis, qui regnandi cupiditate ducuntur, ambitionis vitandæ, honoréſque oblatos recuſandi clariſſimum reliquit exemplum. Nam cũ maximus ad eum fieret populi concurſus Iudęorum imperium illi deferre cupientis, quod munus quia ex Dauidis regis proſapia prognatus erat, iuſtè forſan ſatis potuiſſet ſuſcipere, noluit tamen, ſed à populo ſecedens, primati hominis more, & vt aliorum ſeruus & miniſter viuere quam regio ſplendore ornari maluit. Is igitur quum ſit omnium regum dominus merito primus inter illos principes, qui aut ablatos reſpuerunt honores, aut ſuis etiam ſponte ſe abdicarunt imperiis, nobis propinatur.

Chriſt⁹ terrenum regnum & honores oblatos recuſauit.

Principes qui ſuis imperiis ſponte ſeſe abducarunt.
CAP. XIX.

CVIVS exemplo multos etiam poſteà & imperatores, atque pios alios reges idem feciſſe legimus. Inter quos Theodoſius tertius Hadramittenus Imperator inuitus & coactus pulſo Anaſtaſio ſuſcepit imperium: ſed ſtatim poſteà eodem ſe vt priuatam deinceps vitam inter Dei cultores ducere poſſet volens abdicauit, atque ita

reliquum vitæ tempus tranſegit,& in optata pace laudem quieuit. Lotharius quoque Imperator primus eius nominis, à quo Lotharingia dicta eſt, Caroli Magni nepos, cùm optime denique adminiſtraſſet imperium, partito inter filios regno, vale dixit ſeculo, ſolitariam vitam eligens in Pruſſia, vbi in ſumma quiete & otio tandem in Domino obdormiuit. Similiter Iſaacius Conneuus Imperator appellatus in oriente contra Michaëlem Auguſtum, Imperij faſces anno ſecundo ſponte depoſuit,& reliquum vitæ contemplationi & orationi dedit: Qui ſane videtur illius Caninij conſulis Romani mores imitatus,qui quidem, eodem die, quo eſt adeptus conſulatum,honorem contemnens abiit: ex quo Ciceronis ſcomma, vigilantiſſimum habuimus cõſulem Caninium,qui toto cõſulatu ſomnũ non carpſit. Neque hi duntaxat, ſed & alij complures monarchæ ante illos, quamuis Chriſtianam non ſint profeſſi pietatem imperio ſuo ſe ſimili modo exuerunt: quod D. ille Auguſtus primus apud Romanos Imperatorum idemque fortunatiſſimus non ſemel cogitaſſe dicitur: Adminiſtrationem enim reip. populo Romano reddere decreuit, vti Seneca tradit: Nec deſiit quietem ſibi precari, & vacationem à Repub. petere, cum illi omnia ex animi ſententia ſuccederent, & clauſis Iani oſtiis in ſumma tran-

quillitate Reipub. gubernaret. Quid hac moderatione efficacius aut volentius? Verum tantam laudem inde aſſequutus eſt, vt non minor illi authoritas, ob has vocationis preces Senatui populóque Romano exhibitas, accreuerit, quàm ex iis, quæ in ipſo imperio fortiſſimè geſſit.

Quinetiam Valerius Aurelius. Diocletianus virtute partum imperium cum multos annos exegiſſet, ingentique animo tueretur, imperium depoſuit, & apud Salonas vrbem, in priuati hominis ſtatum ſe contulit, vbi cum multos egiſſet annos, hortantibus Maximiano atque Gallerio vt imperium reſumeret, reſcripſit, Si herbarum ordinem, quas ipſe in horto ſuo ſeuerat, viderent, nunquam ipſos de reſumendo imperio mẽtionem ei facturos. Hunc imitatus eſt Maximianus Imp. eius ſocius & ſucceſſor, qui relicto imperio vitam priuatam elegit.

Euſebius. Nec indignus ſane eſt, qui inter Imperat. locum ſibi vendicet, quidam Similis dictus, qui cum eſſet primus ſub Adriano Cæſare & in imperio ſucceſſurus, depoſita Palatina pręfectura, quę dignitas Auguſtorum magnitudini proxima erat, in priuatum ſeceſſit locum, vbi moriens ordinauit, vt tumulo inſcriberetur: Hic Similis iacet, cuius ætas multorum fuit annorum, & tamen ex his ſeptem ſolum vixit. Annorum enim in ambitioſo magiſtratu multitudinem in mortis

ſorte computauit, ſolos paucos illos, quos in priuato ocio degit, ad vitam referens, quemadmodum id recte æſtimantibus verum eſſe inuenietur.

Deindè quia regum etiam nonnulla adducere placet exempla, primus in hunc conſeſſum exeat Sabacus Aegiptiorum rex qui regno ſe ſponte abdicauit, & in Aethiopiam priuatus rediit, quod etiam ſontes plectere inhumanum eſſe putaret. Is ſanè mihi videtur Themiſtoclis, qui Neoclis erat fili', ſententiam amplexus: quem dixiſſe Elianus refert, dum magiſtratum ſibi oblatum repudiaret, ſi mihi, inquit, duas oſtenderitis vias, quarum vna ad inferos, altera ad tribunal duceret multò lubentius ingrederer eam, quæ recta ad inferos tenderet. *Diod. Sicul.* *Elianus lib. 9. Var. hiſt.*

Duo item Indorum Reges Aueuir filiuſque eius Ioſaphat, anno Chriſtiannæ ſalutis octogeſimo ſupra trecentos, quemadmodum Io. Damaſcenus ſcripſit, relictis Regnis Heremeticam vixerunt vitam magis animorum quiete quanquam in magna eſſent inopia, quam opibus atque moleſtiis, quas regna trahere ſecum ſolent contenti. Iohannes autem Armeniæ Rex relicto Leoni nepoti regno heremum ſolus incolere, quam regno vti maluit. Verum cum poſteà Turcæ Armeniam infeſtarent, maléque Leo eam tueretur, à populis regnum reſumere coactus magno illud animo diu

defendit oſtendens neque inertia cõpulſum ſe antea regnum reliquiſſe, neque poſtea aut leuitate aut ambitione reſumpſiſſe.

Bamba itidem Hiſpanorum rex pari ratione motus anno poſt initum regnum nono, ſceptro & diademate ſponte depoſitis, in priuatas religioſorum ædes ſeceſſit, vbi ad vltimum vitę permanſit diẽ. Fuere quoq; & illuſtres quædam fœminæ, quæ non minori animi fortitudine, dum imperatrices ac reginæ eſſent, honorum tædio affectæ, in ſolitariam & priuatam ſeceſſerunt vitam: quarum non exiguum certè poſſem ego referre numerum. Verùm breuitati cõſulens, trium aut quatuor conſtantia & animi magnitudo exempli loco nobis hoc tempore ſatis eſto. Agnes igitur Henrici tertij Imperatoris vxor cum imperium ſumma laude & dignitate longo tempore mortuo marito adminiſtraſſet, omnibus & diuitiis & honoribus, vt religioni daret operam, vale dixit.

Illuſtres fœminæ Imperatrices & Reginæ, quæ priuatæ vixerunt relicto imperio.

Elizabetha quogue regis Pannoniæ filia Thuringiæ principis connubio nobilis, defuncto viro propinquis eius tetharchiam occupantibus, cum paruulis liberis eiecta, inops, egens, vaga, ęrumuis omnibus obruta, ab iis quoq;, in quos olim beneficia contulerat, contempta, ita omnia conſtanti animo ſuſtinuit, vt ad patrem regem in Pannoniam, cum accerſeretur, redire nollet, ne pacientiam & humilitatem, quam in miſeriis

inuenerat, inter regales delitias amitteret. Vnamquámque enim animi virtutem theſauris ſæculi omnibus lõgè habuit chariorem. Inſuper Mathildis Imperatrix Henrici ſecundi Anglorum regis filia, Auguſtáque, quòd Henrico quinto Imperatori nupſiſſet, dicta, & Maicolmi Scotorum regis neptis ex filia, quæ multis belli & pacis artibus ſupra fœmineum ſexum celebris fuit & inſignis, poſt complures pugnas, variáque dubij martis certamina pro hæreditario regni Anglici iure cõtra Stephanum, qui tum ſceptro potiebatur, ſuſcepta, ſtabili tãdem perpetuóque inito fœdere, vt Henricus Mathildis filius ipſi Stephano veluti verus hæres optimo iure in regno ſuccederet, ipſa Mathildis priuatæ vitæ contenta ferte relicto regno ſpõte in Aquitaniam ſeceſſit, vbi trãſactis aliquot in magna quiete annis, ſummæ moderationis, piíque in filium amoris teſtimonio poſteris relicto vitã cum morte commutauit.

Ante hanc Imperatricem Iuas rex Angliæ princeps magni cõſilij, & virtutis, domi foríſque clarus, bonis artibus duntaxat vacãs, ac iuſti æquíque per omnia amãs, cum animaduerteret per adminiſtrationem publicarum rerum non licere ſibi eſſe quietum, regio honore ſpreto, hortante Ethelburga vxore prudentiſſima regnũ Ethellardo conſanguineo ſuo viro probo tradidit, & Ro- *Pollid. Vir. lib.4.*

Anglię & Scotię Reges, qui ſpōte renunciarūt imperij.

mam profectus Eremeticam duxit vitam. Ethelburga itidem Regina inter religioſas in Cœnobio ad ripam thameſis fluminis ſanctiſſimè vitam finiuit. Id quod & Ethelnolphus Cācianorum rex in Anglia relicto Egberto fratri patrueli regno poſtea fecit. Quorum imitatus exemplum Petrus Angliæ rex (teſte Fulgoſio) relicto ſuis regno Romam venit, vbi in paupertate priuatus vixit. Et antè hos Iudocus Regis Britonum filius relicto principatu cui erat ſucceſſurus biſſum & purpuram in plebeias & pannoſas veſtes commutauit.

Hect. Boeti. li.2. Scot. hiſt.

Cæterùm, ne externis tantum teſtimoniis delectari videamur, ex noſtris etiem prodeat Rutha Scotorum Rex, pacis, pietatis (vt illa ferebat ętas) & iuſtitię cultor eximius, qui cum ęqua adminiſtratione omnibus rebus pacatis vllo ſine bello annos propè quatuordecem gubernaſſet imperium, metuēs tandem ne fortuna nimium ſecunda triſtem exitum pareret, Thereum egregium adoleſcentem populo pro concione laudauit, eum eſſe conſtanter aſſeuerās, qui rei ſummam probè poſſet adminiſtrare, ſeſe non cupere diutius in rerum adminiſtratione verſari. Inde patrum authoritate, populi ſuffragiis regno Thereo per manus tradito ſummo magiſtratu ſeſe abdicans ad priuatā vitam ſeceſſit. Poſt hunc Conſtantius tertius princeps tum ad vrbanos res tum etiā

religioſus accommodato ingenio, qui Scotorum imperium quadraginta annis omniũ ciuium gratulatione tenuit, depoſitóque deindeRegio diademate in piorum cœtum, qui in Diui Andreæ ędibus erant, migrans ibidem finem Chriſtiano viro dignum planè ſortitus eſt. Voluit quóque & idem feciſſe Feritharis ſecundus Scotorum Rex inde poſtquam magna dexteritate populum rexiſſet, & ad reip. commodum complura haud cõmemoratu indigna egiſſet, omniáque ob fidei & ęqui obſeruationem genti ex ſententia ſucceſſiſſent. Itáque cõſeſſu patrũ habito ſeſe regalia inſignia deponere paratũ ſpõte obtulit, & alium magis idoneũ, qui Perguſij primi Regis filius erat, in locum eius ſubſtitui inſtanter rogauit: hanc ſubiungens vocem, Ego ſanè ſtatui vitam agere priuatam. Satis enim in ciuilibus muneribus vixi: Recipite, inquit, Patres regia, alacriori longè animo, quam acceperim, inſignia, volens atque lubens ecce depono imperij faſces. Verùm poſt hęc verba coortus eſt magnus populi clamor, atque indiſcretus (vt fit) quem authoritate maiorum ſedatum ſequutę ſunt preces rogantium, ne regno decederet, & ita inuitus imperium retinere coactus eſt. Exinde ad publici regiminis negotia (vti antea) adiecit animum, vt vnicuique in publico ex bono & ęquo ius fieret. *Idem lib. 2.*

Atque deinceps optimi principis munere ad finem vſque vitæ probè functus eſt. Hæc pauca in hanc ſententiam ex imperatorum, regum, & principum geſtis adducta ſufficiant: quanquam in ſimilibus recitãdis immorari ſi libuiſſet, ex omni ordine in eundẽ finem, quaſi exemplorum miriades poſſem adducere. Sed vereor ne plus ſatis de his dicta eſſe videantur, aut ſaltem ne talia ſint, quæ nonnullis hoc tempore parum arrideãt, præſertim cum vix quiſquam reperiatur hoc ſæculo, qui ſponte magiſtratum, vt priuatus deinde agere poſſit, deponere velit. Verùm noſtri inſtituti nõ eſt, perſequi quid plerúmque fit, ſed quid fieri expediat, quídque magis tutum, quid magis tranquillum, quid Dei voluntati magis conſentaneum, quid denique cœleſtem in terris inchoare vitam, partim rationibus, partim exemplis edocere.

Priuata vita cur publicæ præferenda.
CAP. XX.

QVi igitur omni cura, & humanarum rerum ſolicitudine vacuus, omni metu ſolutus, & à publicis muneribus liber, rerum diuinarum contemplationi ſe totum tradit, iam nõ amplius cum hominibus, qui terrena duntaxat quærunt & ſapiunt, ſed potius cum ipſo Deo & angelis

eius

eius verſari videtur. Et quanquam corpus morti obnoxium circumfert, animus tamẽ interim tanquam per ſpeculum lucidiſſimum, futurarum rerum imaginem præuidens, his incipit frui bonis, his dulciſſimis delectari epulis, his ſpiritualibus refici deliciis, quibus aliquãdo dum faciè ad faciem animo corpori tandẽ vnito Deum Opt. Max. intuebitur, in ęterna illa gloria ſit fruiturus. Num igitur cuiquam dubium eſſe poterit, hanc vtiliſſimam fore, quam propoſuimus ſtatus cõmutationem, dum pro terrenis, & caducis atq; incertis bonis, quę nos prẽmũt deiiciunt, & quaſi in Tartarca demergũt, verè aurea, cœleſtia & perpetua, quæ nos in æthera eleuant, cõſolantur, & ad æternã quietis gloriam ducunt (quę omnia certè à nobis priuatam potiſſimum exiguunt vitam) captamms & tantum non iam abundè poſſidemus? Sed ne hæc, quæ à me ſyncero animo de vtriuſque tum publicæ tum priuatæ vitę ſtatu vtcũnq; commemorata ſunt, ſcrupulũ aliquẽ moueant, quaſi ipſe ſentire videar eum, qui ſummo magiſtratu in repub. fungatur, omnium rerum copia affluat, non poſſe, dum regium exequitur munus, communi etiam regũ more colitur, diuino placere numini: Illud quod & antea paucis attigi, lubẽs hîc breuiſſimè repetam. Eum itaque principem, qui Dei cultum promouere ſtudet, qui populum ſibi commiſſum offi- *Princeps duplici honore dignus.*

cio erga Deum & homines continere, qui iuſtitiæ æquo libramine omnibus miniſtrare, & ſuos ab omni iniuria tueri conatur, Deo ſummo principi non modo chariſſimum, ſed & per ſimilem eſſe equidem exiſtimo, imo talem, qui duplici honore dignus habeatur. Neque verò dubius ſum aut incertus, quin vnuſquiſque in imperio legitimè conſtitutus Dei munere atque gratia ſuffultus hæc omnia præſtare, & exactè ſuo poſſit officio ſatisfacere. Tales namque erant inſignes illi pietate Reges, Dauid, Ezechias, & Ioſias, quos Deo chariſſimos fuiſſe legimus. Verumtamen quam difficile ſit regis munus probè exequi, & à voluptatibus atque deliciis, quæ tum animum, tum corpus inficiunt, temperare, & non etiam ad ea, quę maximè Deo aduerſantur interdũ deflectere, Teſtantur Salomonis & aliorum regũ, qui tum Iudæ, tũ Iſraëli dominati ſunt mores turpiſſimi, idololatria, libidines, aliáque fœdiſſima, in quæ delapſi ſunt, facinora. A quibus quidē nec ipſe Dauid & Ezechias omnino abſtinuere. Tam difficile eſt perpetuò noſtris moderari cupiditatibus. Quanquã & hi Dei cultum & religionē nunquam deſernerũt. Quorũ exemplo diſcãt pij principes, quod tametſi in grauia forſam delicta aliquando incidant, & Deũ in eos paterno ſuo more animaduertere cuntingat, nō ideo de ſua temerè debent deſperare ſalute, nec

Regij muneris executio difficilis.

ſe propterea Deo curę non eſſe ſuſpicentur: quin potius ſeriò reſipiſcant, delicta ſua agnoſcāt,& veniā deprecentur, quā haud dubiè, vt & illi adepti ſunt Reges, Dei benignitate cōſequētur. Et ſi fortè ſtatu moti ſint & afflicti, nō aliter ſe à Deo erectū atq; dignitati priſtinæ reſtitutū iri credāt, atq; olim reſtituti ſunt ij prīcipes, quos iā nominauim⁹.

Quòd hæc ſcribo ad T. Maieſt. aliquanto liberius, ea ratione à me factum eſſe puta, quod te pro tua pietate à talibus conſiliis, quæ Deum & cœleſtia ſapiunt, abhorrere ſenſerim nunquam. Idq́ue merito quidem, quoniam qui eludere ea & auerſari aliquando ſunt ſoliti, cum opes & potentias nimiū conſectarentur, intellexerunt tandem ipſo euentu edocti, non minus ſtultè quam impiè à veritatis via ſe aberraſſe.

Quare Princeps Sereniſſima te per eam, quam ſemper à teneris coluiſti annis ſapiētiam non poſſum non rogare, obteſtaríque, quamuis certò ſciā T. prudentiā ſatis per ſe id præſtare, ne te quouiſmodo vrgeat hæc ſuprema tui magiſtratus deſertio, nec Regię dignitatis authoritas, quaſi apud ſequeſtrum iam diu poſita, non diadematis auro gemmíſque fulgentis ablatio, non denique magnarum ædium ſplendor, procerúmque caterua, à quibus nūc abeſſe videris, in tuas deſcendant cogitationes. Verum tecum loquere, tecum cogita, tecum perpende quāta *Exhortatio*

ſit Regiæ vitæ ſolicitudo, quantę curæ, quã-
tæ vigiliæ, quam grauis vndiq; metus, quot
inſidiæ, quótque pericula: Et ediuerſo quã-
to ſolitaria priuatáque vita ea ſit longè tu-
tior, longè tranquillior & quietior. Hac igi-
tur, obſecro, qualis qualis ſit, viue ſorte con-
tenta: imo (quia ita Deo viſum eſt) in ſinu
lętabunda: Quippè quę certè habes perſua-
ſum (quemadmodum crebro habes in ore)
Deo te curæ eſſe: vtpote qui tam aſperiscõ-
flictationibus tam magnam addit patien-
tiam. Interim meliora ipſius beneficio,
quod piè admodum facis, ſperato. Ille fide-
lis eſt, illámque ſuis tribuit fiduciam, vt ſi
quando maior ingruat rerum acerbitas, eá
tandem expetita voluptatis ac gloriæ dul-
cedine penſabit, nec quicquam graue acci-
dere patietur, quod vires illorum poterit
ſuperare. Nam tametſi aliqua amiſeris hu-
ius vitę oblectamenta, meminiſſe oportet
non damnoſam eſſe negotiationem aliquid
amittere vt maiora lucremur. Prœmium
namque obtolerantiam proponit Deus, ad
quod nos inuitat.

Carcer piis nullam adfert moleſtiam, ſed ſynceras quaſdam voluptates atque commoda, Cuius pœnam multi principes forti animo tolerarunt.

CAP. XXI.

NVm igitur nos, qui hãc priuatam agi-
mus vitam, imo qui in carcere ſub ar-

cta ſatis cuſtodia ſumus, omnibus gaudiis ſyncerísq; voluptatibus deſtituimur? Minimè gentium. Quandoquidẽ ſi ipſum magis mundũ carcerem eſſe cogitemus, exiſſe nos è carcere potiùs quam in carcerẽ introiiſſe haud dubiè intelligem⁹. Quo ergo nos trãſlatos eſſe exiſtimabimus? A tenebris & caligine, quibus in mundo obruti eramus, ad lumen inquiſitionis vitæ noſtræ actionúmque noſtrarũ: quorum omniũ à nobiſmetipſis in carcere oportunè & quietè rationem expetimus. Etenim ſi conſuetudinem ſeculi & carceris cóparemus, plus in carcere ſpiritus acquirit, quam caro amittit. Non videmus profectò in carcere ea, quæ nos ad voluptates, delitias atque peccata alliciunt: non patrocinamur homicidis, latronibus, & ſeditioſis hominibus, ipſis ignoſcendo & indulgendo, atque alios illorum exemplo ad ſimilia flagitia inuitando: vti aliquãdo in aula, & reip. adminiſtratione ſoliti ſumus. Non iam in loca libidinum oculi noſtri impingunt: vacamus à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malorũ. Iam & ab inſectatione peruerſorum hominum, hoc certè præſtat carcer Chriſtiano, quod Eremus aliquando Prophetis. Vbi quæſo aptior locus quam in vita ſolitaria diuinæ contemplationi? quam Chriſtus vt optimã partem, quam Mariam eligiſſe teſtatus eſt,

tantoperè laudauit? Vbi commodius ſtudio vacare quis poteſt, quam vbi ſumma quies & à publicis negotiis vacatio? Nonnè vas illud electionis, & gentium doctor Paulus magnam ſuarum epiſtolarum partē à vinculis & carcere ſcripſit? vt & Diuus Iohannes ſuam Apocalypſim, dum relegatus in Pathmo inſula maneret. Sic quoque Socrates morti adiudicatus in carcere lætiſſimè vixit, quietè dormiuit, philoſophiam, quæ vera eſt animi medicina, ſuis ſermonibus illuſtrauit, denique & poemata quædam ſcripſit. Ita Anaxagoram in carcere de circuli quadratura edidiſſe librum refert Plato ſubtiliſſimum. Quorum quidem exempla imitatus egregius morum ille cenſor Boetius nobis illos de conſolatione, qua ab ipſa philoſophia in carcere erat ſuauiſſimè affectus, libros ſolidi oblectamenti plenos reliquit. Ipſe denique Chriſtus, quem vt omnium virtutum imaginem & prototypon nos omnes imitari decet, in ſeceſſu frequentius agebat, vtque liberius oraret, ſedebat: gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine monſtrabat. Auferamus itaque carceris nomen, ſeceſſum vocemus. Nam etſi corpus parietibus includitur, etſi carcere detinetur, omnia tamen ſpiritui patent. Luſtrare igitur omnia ſpiritu debem⁹, diſpaciari ſpiritu, & nō vmbracula opa-

ca, porticus longas,aut ampla palatia nobis proponere,ſed illam viam quærere, quæ ad Deum ducit. Etenim quoties illam ſpiritu perambulamus, toties extra carcerẽ ſumus. Nos igitur ad æternam anhelantes coronã, carcerem victoriæ noſtræ paleſtram interpretemur:vbi,benè abſoluto ſtadio ab Agonatheta noſtro munificentiſſ. ſempiterna & integra præmia expectamus. Quis ergo verè Chriſtianus hæc,etiamſi longè acerbiora eſſent,ſpe tanti ſalarij non libentiſſimè ſuſtineat? quæ quidem à multis non ſanctæ noſtræ religionis ergo duntaxat, ſed & famæ gloriæque tam æquo animo tolerata & vltrò appetita legimus. Neque id à viris tantùm,ſed & à fœminis quoque. Teſtes ſunto Lucretia,Dido,& Cleopatra.Et è viris pariter,Empedocles,Mutius &Regulus,aliíque innumeri.Iugurtha quoque Numidiæ Rex regno amiſſo, Romam captiuus ductus in carceris oſtium iocatus eſſe dicitur.Nec minori animi conſtantia Regina Palmyrenſiũ Zenobia,cùm ab Aureliano Auguſto capta eſſet,& in carcerem miſſa, ab eodémque interrogata qua re freta æquare ſe Romano Imperatori auſa eſſet?ipſa quanquam captiua &in vltima fortuna conſtituta reſpondit: Te,qui vincere ſcis,Imperatorem agnoſco: verùm ſi optatis meis fortuna reſpõdiſſent Imperij ſocia & conſors tibi eſſe volebam. Mira res profectò fuit fœminam captiuám-

Plutar. de clar. mulier.

que de participando Imperio cum Romano Imperatore mentionem facete auſam eſſe. Huius conſtantiam imitata eſt inuicti animi fœmina Megiſtona Elienſis, cùm captiua in carcere ab Ariſtotimo immani tyrāno, cum filiis multíſque aliis fœminis obſeruaretur. Adeò enim illas à firmitate propoſiti Ariſtotimus nequiuit auertere, vt ne vel verbulū vnum, quod ille ſummopere cupiebat ſcribere vllis nimis vellent. Ad hæc cùm illarum filios occidendos in carcere perquiri iuberet tyrannus, Magiſtona ſua manu apprehenſum filium iis tradidit, qui tyranni iuſſu eum quærebant. Plus enim apud eas propoſita ſemel conſtantia quam carceris ſqualor tyrannique minæ valebant. Alfonſus ſimiliter Aragonum Rex prelio nauali victus, captúſque dum ad Philippum Ducem Mediolanenſiū perduceretur, adeò liberò principe dignam authoritatem, maieſtatémque perpetuò ſeruauit, vt interdum victoribus ipſis non victus, ſed victor potiùs videretur. vndè & nonnulli ex hoſtibus dixiſſe feruntur, in omni fortuna Alfonſum & videri & exiſtimari meritò Regem. Et cum audiſſent quod ſtatim liberandus eſſet, renunciauit Philippo, quas pro ſui liberatione leges dicturus eſſet, nullas omnino recuſaturum ſe, prætérquā ſi iure Neapolitani regni cedere, & ab eius recuperandi conſilio deſiſtere iuberetur; malle enim ſe in perpetuis carceri-

bus mori,quam animi conſtantiam in rebus Principe dignis minimè ſeruare. Quocircà ſi tantùm terrenæ gloriæ tribuere ſolebant Principes de animi vigore, ob præmium laudis humanæ,quid nobis faciendum,quibus cum D. Paulo communis illa ſententia eſſe debet, modicas nimirum eſſe has afflictiones ad conſequutionem gloriæ cœleſtis & æternæ mercedis?

Exilium tolerandum plurimorum Principum exēplo, qui partim ſponte, partim inuiti exulantes magnis honoribus apud exteros ſunt affecti.

CAP. XXII.

CÆterùm quod intereà à tuis ſedibus & adminiſtratione Reip.& procerum comitatu abſis,eo id leuius ferēdum eſt, quòd eodem tempore à multis & magnis moleſtiis abſis,quas videre non potes. Mihi quidem videris longè meliori loco ac conditione eſſe, quam ij, qui eas etiam nolentes vident.Et niſi iam illinc profecta fuiſſes, certè vel nunc meo iudicio lubentius proficiſcereris.Illud vnum vtinam ne vereſcriberem, ea te Rep.carere,in qua vix vlla res ſit, quæ te hoc tempore delectare poſſit: Sed ſi quando talis cogitatio animum ſubeat tuū, quod hæc neceſſaria abſentia quaſi exilium tibi appareat: quàmuis exilium verè non ſit(cùm nemo Principem ſuum iure relega-

re poſſit aut proſcribere) illam poterit T. pietas animi motionem, ne violenter erumpat, prudenter componere: quippè quòd ex omnibus eiuſmodi incommodis nihil tolerabilius exilio, præſertim innocenti, cum ea vrbe careat, aut regione, in qua nihil ſit, quod videre ſine dolore queat. Et quanquam patriæ fumus (vti eſt in prouerbio) igne alieno luculentior eſt, præclara tamen illa vox Teucri cùm exularet, illud ipſum interpretari debeat: Patria eſt, inquit ille, vbicunque benè eſt. Quin etiam & illa P. Ouidij Naſonis, qui ſeptem annorum exilium ferens inter multa ingenioſiſſima ſua ſcripta, hoc quoque de patria explicuit:

Omne ſolum forti patria eſt, vt piſcibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Proponendus itaque nobis eſt Ariſtides Princeps ille Athenienſis, quem imitemur; qui cum poſt multa benefacta, quæ in patriam collocauerat inuidia tantum Oſtraciſmi gratia in exilium pulſus eſſet, non aduerſus patriam ingratóſue ciues indignatus eſt, ſed cum Athenas egrederetur, Deos rogauit, vt ea fœlicitate patriam ſuam donarent, ne vnquam Ariſtidis meminiſſe cogeretur. Quin & idem percontatus, quid in exilio moleſtius tuliſſet, reſpondit, ignominiam patriæ, a qua cùm iniuſtè in exilium

miſſus eſſet, ob eam rem vbique ab omnibus illa malè audiret. Hic tamen poſtea, quod & de Excellent. T. breui ſperandum eſt, ſummo cum honore à ſuis reuocatus eſt. Similiter Anaxagoras Clazomenius cùm ab Athenienſibus eſſet damnatus exilio, cuidam dicenti priuatus es Athenienſibus, Imò illi, inquit, me: ſentiens Athenienſibus magis opus eſſe Anaxagora, quam Anaxagoræ Athenienſibus. Siquidem inter omnia mala, quæ accidere ſolent hominibus, exilium ſemper vti minimum cenſuerunt veteres. Quid quòd complures nobiliſſimos Principes atque etiam Philoſophos, & oratores ſapientiæ plenos fuiſſe legimus, quorum alij tanquam voluntarij exules ſponte patriã reliquerunt, alij ſuis ſedibus pulſi & proſcripti apud exteros in ſummo honore vixerũt, & gloria? Teſtes ſunt Dion, Thraſybulus, Themiſtocles, Plato, Ariſtoteles, Iuſtinus Imperator, Demoſthenes, Cicero, Chryſoſtomus, Anaſtaſius, Boëtius, aliíque innumeri, quorum exemplo edocta, ob iſtam à tuis abſentiam non debes animo commoueri, vtpotè illius exilij, quod ipſe paſſus eſt Chriſtus, in primis memor: Qui cum ſua ciuitate Nazareth eiectus exulare cogeretur, Ieroſolymis tamen & in Samaria ſumma gratulatione & honore exceptus eſt. Hic veriſſimè dixit, nõ eſſe Prophetam ſiue honore niſi in patria ſua. Deindè,

cogita tecum atque perpende,quantum cõmodi,quãtum honoris, quãtum authoritatis inſigni religione viro ac patriarchę illi Ioſepho,dũ apud Ægyptios exularet contigit. Poſtremo quam muneroſa prole illius pater Iacobus, quamque fœcundis ouium gregibus,pecudibus, vernaculis & ancillis, quam lauta & magnifica ſupellectile Deo donante auctus eſt,dum in exilio & ſeruitute apud Labanum auunculum ſuum degeret. Vnde prouidam Dei patris in ſuos curã & benignitatem agnoſcere licet, qui nè in carcere quidem,exilio, peregrinatione, locisue maximè arduis ipſos derelinquit, ſed ſemper iis,qui in eum defixam habent ſpem ac fidem ita adeſt,vt eoſdem reficiat & conſoletur,ac tandem eorum triſtitiam in gaudium,cantumeliam in honorem, rerum iacturam in lucrum conuertat.

Abſit autem vt ob hęc,quæ ad mentis tuę tranquillitatem animique pacem per me dicta ſunt,Serenitas T.illam opinionem imbuat,quaſi tibi perſuadere velim,nè ad tuos ſi liceret, ſtatim redęas: cum palam conſtet hunc eſſe mei diuturni laboris fructum deſideratiſſimum, quem ſummoperè nunquam nõ mens ante cætera appetit animus, idque vehementiſſimè, ſed ea lege atque ſpe vt ſi ſuperſit aliqua reip. forma, ea melior quamprimum per Maieſt. Tuę prudentiam fiat: ſui verò nulla, vereor ſanè ne tunc in

patria tanquam in maiore exilio degas, & longè pluribus moleſtiis & periculis quam nunc opprimaris. Quod ſi eſt, iſtic vitæ ſtatus dubio procul apparet multò eſſe optabilior, vtpotè qui pacatior, minuſque ęrumnis, ſeditionibus & periculis obnoxius. Quis, quęſo, in hunc ordinem cooptari velit, vbi neque ipſi reip. conſulere, nec abſque metu & inſidiis vitam tueri, nec mentis integritati tutò prouidere liceat? Satius ergo multò atque tutius videtur, vitam tranquillam in pace, quiete & ocio degere quam tot periculoſis tempeſtatum vndis iactari, & fruſtra tot curis torqueri, atque moleſtiis. Leuius quoque hæc à tuis abſentia ac regię adminiſtrationis ceſſatio ferenda eſt, quod chariſſimus ille optimę ſpei atque indolis, vt antiquæ nobilitatis propagine clariſſimus princeps, tuus filius, in regium vel ab aduerſariis ſuffectus ſit locum: per quem tu viuere, regnare, regiiſque frui videris honoribus. Et quanquam ex aliorum arbitratu ob ætatis imbecillitatem gubernetur, nihilominus te ſpes pręclara foueat, eũdem Dei munere olim in ſapientiſſimum euaſurum principem, qui per ſe probè omnia moderari poſſit. Ita ſane cum ad maturam ætatem prouenerit, animíque iudicio pollere cœperit, non dubito quin mente ſyncera recolat, quanta ſit illa pietas, qua matrem erga ſe piiſſimam, vndè regii ſplendoris titulos, di-

Leuius ferẽda eſt abſentia cum: Chariſſimi omnibus abſentis fruuntur bonis.

gnitates, atque iura habere dignoſcitur, proſequi teneatur: eáque omnia, quæ pium decent principem, tum patriæ tum parentibus lubens abundè ſit præſtiturus. Cuius rei nō obſcurum ſpecimen iam iam prę ſe fert, cum toties ſuauiſſimæ matris nomen renitentibus nonnullis impietatis miniſtris tāto animi affectu in ore habeat. Interea igitur rogandns eſt Deus Opt. Max. (vt quotidie quotquot diademati, ſaluti tuæ ac vitæ optime cōſultum cupimus, oramus, petimus, & obſecramus) vt ſemper nobis ſaluus & incolumis exiſtat, pietatis & iuſticiæ documentis imbuatur, animi quoque & corporis viribus indies magis adaugeatur, & hoſtium inſidias atque occultas, clandeſtinas & etiam abſconditas perditorum ciuium machinationes euitet.

Ex Regiis matrimoniis raro plures maſculi procreātur: liberorum paucitas neminem vrgeat. Vita cælebs coniugio præferenda.

CAP. XXIII.

ET quanquam vnicus tibi ac ſingularis eſt duntaxat natus, nec interim maior apparet fœcunditas, cum interrupta videatur nubendi atque pariendi facultas: nulla, quæſo, te inde ſolicitudo vrgeat, aut angor mentem occupet. Nam regum matrimoniis diuina quadam non dubito prouidentia ſę-

pe vſu uenire videmus, vt vix plures virilis ſaltẽ ſexus inde procreētur. Ita enim prouidus rerum omnium diſpenſator Deus frequentiſſimam illam ſimultatis ac diſcordię anſam & fomitem amputare, & pręcidere ſolet. Nam ex fratrum eiuſmodi multitudine teterrimę ſæpe ſeditiones excitantur. Inde enim ſtatim mundi initio omne ſcelus atque flagitium cum ipſo quaſi homine ortum conſpici poteſt, dum Imperij æmulatio fratres Caimũ & Abelẽ primitias humanæ generationis inter ſe cõmitteret, quę deinde Iacobum exulem, cum frater eius Eſau illi inſidiaretur, fecerat, quę Gedeonis filium Abimelechum dira regnandi cupidine ductũ ſeptuaginta fratres crudeliter perimere adegit: quæ denique Ioram Iudę Regem ſuaſu Athaliæ vxoris impulit, vt fratres interficeret, qui deindè nullum ſceleris genus infectum omiſit, nec ab vllo abſtinuit flagitio. Quid aliud, quęſo, Romulum Romanorum, Cambiſem Perſarum, Aliarchum Cyreneorum, Oroodem Parthorum, Mythridatem Ponti, ptholemæum Philopatorem Aegypti, Reges, Anthonium Caracallam, Maximinum, & Conſtantinum, Imperatores, alióſque complures (quorum ſceleſta parricidia ſigillatim ad memoriam reuocare mens horret) in tantam furoris inſaniam produxit, vt ſuos interimerent fratres? Suſpicioſa itaque atque conſortij impatiens

paral.21.a.

res eſt Regia poteſtas, quæ nè inter fratres quidem perpetuam fidem eſſe promittit: ſed vt alius alium etiam quamuis nulla ſubſit iuſta iræ inuidięúe cauſa, è medio tollat ſæpè impellit. Nec ideo tamen in ipſos Reges atque Principes omnis fraternæ cędis culpa reiiciēda eſt, eò quod plerumque maximas ipſis regibus ſtrui inſidias pro ſuos fratres aut regnandi cupiditate, aut ambitione, aut iniquorum conſilio incitatos legimus: ita vt nonnunquam digna de illis idque ſummo iure ſumpta videatur vltio. Poſſē equidem multa de noſtris dicere, qui fraterno ſanguine permaduiſſe leguntur: quę qui ſcire cupit, huius inſulę annales etiā recētiores cōſulat: quos ſi diligentius euoluerit, videbit fratres in fratres ob ambiti Imperiĳ ſuſpicionē adeo ſęuos impioſque fuiſſe, vt nihil deteſtabilius, nihil ſceleſtius cogitanti tibi accurrat, adeo cōſortem, vt iam diximus, neſcit poteſtas; adeo rara eſt inter neceſſarios charitas, adeo fratrum beneuolentia rara, vbi ſemel dominandi libido mentis hominum faſcinauit. Hinc veriſſimè poëta ſcribit.

Nulla fides regni ſociis omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Et rurſus,

Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres.

Rectiſſimè igitur, ſicut & piè, Regina optima, omnem querimoniam tollis, quod non

ſis liberis aucta, aut numeroſo partu fœlicior, ſed vt ornatiſſima illa fœmina Sara Abrahami vxor, cui vnicus duntaxat à Deo datus eſt filius Iſaacus, exultas, & iugiter munificentiſſimo largitori non deſinis gratias agere, ſupplicesque preces ipſi fundere: vt qui vnius Iſaaci ſemen adeò propagauerat, vt arenę maris, & cœli ſtellis prę multitudine adęquaretur, idem ſemini tuo benedicat, vt filios filiorum tuorum in ipſius timore, longa pace & otio viuentes poſſis intueri. Et ſi intereá nouis quidem frui hymenęis prohiberi videaris, quum & ſua laude non careat illa, quę honeſtè & pudicè ſecundas repetit nuptias conſulente D. Paulo vt iuniores viduę nubant: Id tamen tibi minimè moleſtum eſſe cenſeo, quod hiſce non paucis annis, quibus florentiſſima ętate orbata marito cęlebs vixeris, tam pręclaram ſummę continentię, caſtitatis ac pudicitię teſtimonium, dum vitam omni criminis labe & ſuſpicione immunem duceres, verè dediſti, vt nullus reliquus ſit vel aduerſariis de ſumma illa quoque in te virtute & integritate ambigendi locus. Vndè animus fiducia certiſsima ſuſtentandus eſt, poſſe te Dei ope atque gratia reliquum vitę tempus ad cœleſtium ciuium morem, qui neque nubunt, neque vxores ducunt, illuſtrium viduarum exemplo trā-

ſigere. Quas tametſi & multæ diuitiæ, & iuuenilis ętas, & elegans crebrò præ cæteris æqualibus forma ad repetenda connubia hortabantur, illę tamen cœleſtum rerum, amore viduitatem nuptiis prætulerunt: ideoque & molli indumento cilicium, luxui ieiunium, ſomno atque otio vigilias & orationem piè prudenterque oppoſuerunt. Atque ita his armis inſtructę nullum Sathanę ad ſeſe corrumpendas reliquere locum. Hinc inſigne Elogium viduæ Iudithæ, cũ Holofernem viciſſet, dictum eſt: Confortatum eſt cor tuum eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum alterum neſcieris: Et ideò manus Domini te confortauit, & eris benedicta in æternum. Anna quoque propheteſſa, cuius caſtitatem tantis encomiis Hieronimus laudauit: Eufraxia quoque, & aliæ complures citari poſſent, quæ immortali gloriæ nomen ſuum apud poſteros conſecrarunt. Quibus ſanè caſtiſſima olim Regina mater tua Maria, & religioſiſſima Prnceps Auia tua adhuc ſuperſtes, quę viduitatem illęſa pudicitia diutiſſimè ſeruauerunt, meritò ſunt aſcribendę. Et quamuis in recenſendis principum nominibus, qui perpetuę caſtitati ſeſe deuouerunt, haud lubet immorari: ſilentio tamen prętereriri non debet Malcolmus quartus Scotorum Rex ob perpetuam corporis integritatem virgo dictus cognomine: Qui

quanquam & ętate & eximia pulchritudine adoleſcens inauguratus eſſet, cuius ſingularis modeſtia, ingenui mores, ac liberalis indoles parentibus ipſum ſumma curą inſtituentibus, illuſtrem optimi Principis futuri ſpem prebebant, tanta tamen florebat ab ineunte ętate vitę caſtimonia, vt citra omnem mali ſuſpicionem inde virginis cognomentum meruerit. Senſit enim hic Princeps cum D. Paulo, virginitati primum apud Chriſtianos deberi honorem, ſecundum viduis: matrimonium autem medium eſſe quiddam quod & virginitatis florem, & viduitatis fructum ne pereant, neue incerta libidine ęſtuent homines, cuſtodit. Sed pergo ad alia.

Bonorum fortunæ iactura leuis iis, qui regni abdicationem ferre poſſunt, quum regnum in ſe omnia contineat.

CAP. XXIIII.

DE regalibus illis tuis diuitiis, pretioſiſſimis gemmis, ardentibus carbunculis, lucidis Margaritis, lauta & magnifica ſuppellectile, molli atque ſplendido precioſarum veſtium cultu & mundo opulentiſſimo, de Regia denique illa gaza tua repoſitis pecuniarum theſauris: quorum omnium iacturam ęgrè ferre nonnullis videri poſſis, me hoc loco nonnihil dicturum

forſan putabis: maximè quod eiuſmodi multa in thæcis tuis repoſita ego ipſe ſæpiſſime magna cum admiratione aliquando ſum contemplatus: quorum etiam cogitatio inter reliqua tuum fortè poſſit animum iure nonnihil exulcerare. Verum, quoniam hæc cuncta & alia longè præſtantiora regnum in ſe contineat, nulli dubium eſſe debet, quin ille, qui Regij ſceptri priuationem ferre queat, facillimè earum omnium rerum iacturam, quæ ſceptro accedere ſolent, animo fortiſſimo ſuſtineat. Multo tamen id leuius, ſi Ezechię Regis ob nimiam diuitiarum oſtentationem puniti, tolerantiam intueatur, qui cum omnes diuitias ſuas regias domuſque ſplendorem, legatis Regis Babiloniorum gloriabundus oſtentaſſet, omnem illam, in qua ſibi placebat, ſupellectillem Babilonem aliquando Deo puniente olim transferendam pacientiſſimè audiuit. Etenim cum tantam rerum ſuarum iacturam ſe facturum didiciſſet, haud quaquàm eſt turbatus, ſed quia peccauerat libenter peccati pœnam admiſit, dicens. Bonus eſt ſermo Domini, quem locutus eſt, ſit tantum pax & veritas in diebus meis. Qua patientiæ humilitate meruit vt illa Regiæ gazę direptio ad ſucceſſores ſuos Ioachimum & Sedechiam differretur, quo tempopore etiam populus ipſe ob ſua pariter de-

licta ductus eſt in captiuitatem. Cęterum iſtam bonorum tuorum direptionem ſat ſcio, ô magnanima Princeps, te nihili ducere, quum tam munifica ac liberalis ſemper in omnes fuiſſe dignoſcaris, vt nunquam reconditos delectareris admodum apud te habere theſauros: ſed (vti munificos decet Principes) in alios beneficia liberaliter erogare, ſingularem ſemper ceperis voluptatem, ita vt nulla in re beneficentiam tuam cuiquam cùm opus eſſe putares occluſam eſſe volueris.

Principes eſſe decet liberales. Agnoſcit ſuæ Principis erga ſe munificentiam author, & quam ſequi cupit, vitæ rationem indicat.

CAP. XXV.

QVam quidem Maieſtat. tuę beniguitatem equidem pro ſumma tua bonitate magis quam pro meritis vllis meis abundè crebrò ſum expertus (eam certè clauſam in intimis ſenſibus habeo, habeboque dum hac luce fruar) prę́ſertim à quo tempore tantam tuam ſollicitudinem de me quantumuis parum promerito in epiſcoporum collegium cooptando declaraſti. Cuius quidem vocationis memor non in alia re magis (vt in Dei gloriã quod res eſt ingenuè dicam) quam in medita-

tione diuinę legis & ſacrarum literarum ſtudio omnem operam, omnem laborem, omnem diligentiam, cum tua venia collocare in poſterum tempus ardenter cupio. Nos qui ſatis diu ſatiſque vehementer aliis tametſi alioqui neceſſariis reip. muneribus dedimus operam, & aliqua etiam ei ſic inſeruiendo naufragia fecimus, aliquando Dei beneficio non modo portum ſed & littus tandem nacti ipſum firmiter teneamus. Quod igitur reliquum dabitur vitę, id & Deo & ſacris Muſis impendere totum decreui, vt aliam nullam cum quoquam cupiam habere rationem: Decreui, inquam, quoniam non dubito Sereniſſ. Tuę Maieſt. fore acceptiſsimum vt dignè ambulem in vocatione mea, qua vocatus ſum. Nec deſpero ſanè in hoc ipſo quoque vitę genere me tales poſſe progreſſus facere, vt meo munere in poſterum rite fungi, nec non pium aliquod beneuolentię officium Tuę Maieſt. exhibere valeam, ſicut & ea interim aſſequi, quę mihi & voluptati ſint & ornamento reip. noſtrę profutura. O quam bene mihi eſſet, ſi tenere hanc pacem animi & fructum tranquillitatis, quo mirifice iam perfruor: in quo mens quoque, vt liberè fatear, per quam eſt defixa, ad diem vitę meę vltimum mihi liceret. Porro tametſi fortuna ipſa (quę reuera

nulla eſt) multis pertimeſcenda cuius tanti tamque varij ad lædendum videntur conatus, aduerſus eam, omnèſque & corporis & animi hoſtes vnum perfugiũ eſt mihi quidẽ certiſſimum, & inſtar omnium Deus ipſe: in quo ſi omnes ſpes vitæ animęque ſubſidia vt ſit vel vnus nobiſcum, firmiter cõſtituamus, quis, quæſo, contra nos erit? Atque hæc pauca Tuæ Maieſt. ſed clariſſimè quidem, vtpote qui inſtituti, animíque mei rationem iam reddo, ne me ſecus loqui, ſecúſve me ſcribere credas quã ſentio. Satis enim diu, & pl⁹ ſatis, niſi aliter optimæ meæ principi & reip. placuiſſet moleſtiſſimum hoc rixarum forenſium ſaxum voluiſſe mihi videar: confugio igitur ad ſacras eas literas, quarum minimũ iam diu (prô dolor) commercio, familiaritate & conſuetudine carui. Nam in perſcrutandis & recolendis ſcripturis firmiſſimi huius boni quod non modò maximum, verumetiam ſolum eſt, poſitæ atque fixæ ſunt radices. Quare quod reliquum fuerit à neceſſariis occupationibus otij, id totum in hiſce ſtudiis impendere decretum eſt. Quod vt faciam non ſolum quaſi voti officiíque mei me magna mouet religio, cum ex his vita, ſalúſque non mihi ſolum, quin etiam (ſi liceret) & per me aliis quoque quibus præpoſitus ſum, paratur æterna: ſed quod hæc etiam ſtudia mihi reddere poſſent tum ſenectutẽ

(quæ mihi pro foribus iam eſſe videtur) iucundam, tum mortis etiam metum leuiorẽ. Sed vndè deflexit, eodem iam redeat oratio.

Publica ciuium calamitas ob peccata populi proueniens, celeri pœnitentia ſedatur. Communes non nulli conſolatium loci.

CAP. XXVI.

HAnc poſtremò diutinam populi tui calamitatem, mutuáſq; diſſenſiones non fortuitis caſibus, humaníſq; conſiliis, ſed diuinæ potiùs aſcribere decet iuſtitiæ, quòd ipſe clementiſſimus pater idem & æquiſſimus iudex noſter Deus, ob grauia eaq; frequentiſſima noſtra delicta, tum in ſeipſum, tum in principes noſtros, nec non in priuatos viciſſim ciues, nunc in nos, vt in filios, quos erudire cupit, animaduertit. Cuiꝰ certè paternã correptionem moderatius multo feremus, ſi nihil accidere abſque Dei nutu crediderimus. Quum igitur erga nos ita affectus & animatus ſit Deus, quis eſt, qui ipſi reſiſtat? Siue enim vt peccantes corripimur, vt ad pœnitentiã conuertamur, ſiue vt ſuſtinendo humilitate proficiamus: non eſt ibi profectò vllus querelæ locus, vbi exercendę occaſio datur virtutis. Verum cum primum populus ſeſe collegerit, & ad Deũ conuerſus ſuorum criminũ pœnitere & tranſactam vitam Niniuitarũ exemplo in melius commu-

tare cœperit, haud dubiè mitiſſimus rerum moderator, patérq; noſter indulgentiſſ. aduerſitatis impetus tumultúſq; ſolo nutu cōprimet & ſedabit: pacatámq; tandem nobis Remp. ab omnibus ſeditionibus liberam & immunem reddet. Sūt denique & aliæ multæ conſolationū viæ, quas plerique ad leuādos animi dolores non importunè adhibere ſolent: vt nos eſſe meminerimus ea lege natos, vt omnibus fortunæ telis vita noſtra ſit expoſita, deinde ne grauiter eos caſus feramus, qui nullo cōſilio euitari valeant. Accedit quòd euentis aliorum memoria repetendis nihil nobis accidiſſe noui intelligemus. Cōſtat præterea mentis ægritudinem vetuſtate tolli, nullúmque dolorem eſſe, quē non longinquitas temporis minuat, atque molliat. Quod igitur poteſt ipſa diuturnitas, quæ maximos luctus vetuſtate tollit, idipſum apud nos non poſſe conſilium atque prudentiam, turpiſſimū eſſe merito cēſeri oporteret. Fatuum ideo putaremus longinqui temporis medicinam expectare, quā dicto citius ſola ratio adferre poteſt. Nec modica videtur conſolatio cum alio communicare ea, quæ nos vrgent atque premūt conſilia. Ita namque homini accidit, cùm dolore affectus à quærelis temperat, ſpiritúmque continet, vt ille internus dolor incitamenta cōtracto intrinſecus calore, quo potiſſimum vis doloris accēditur, vehemē-

ter calefaciat atque incendat. Ignis igitur, qui intus ardet, frequenter erumpere cogit in vocem, vndè poſtea dubio procul dolorem quandoque minus ſentire videmur. Sed neque hę, neque cęteræ conſolationes, quę ſunt à ſapientiſſimis viris vſurpatę, memoriæque & literis proditę, tantum prudentię T. proficere videntur, quantum pręſentis rerum tuarum ſtatus: & eorum, quæ tuam dignitatem, amplitudinem, & ornamentum reſpiciunt, moderata quædam & diligens conſideratio, nec non & horum, in quæ incidimus, temporum accurata perpenſio. Quę omnia ex his, quę nos non grauatim ad T. Maieſt. ſcripſimus innoteſcere, atque etiam abūdè feciſſe ſatis ex tuis litteris iamiam non ſine magna animi voluptate agnouimus.

Epilogus. Et vt quę fuſius pro rei dignitate dicta ſunt, ſummatim confirmandę Tuæ memoriæ cauſa contraham, habes certè, Sereniſſima Regina, quoad fieri potuit, pauciſſimis, quæ ad mentis tuę tranquillitatem, animíque pacem in dies magis alendam & conſeruandam apprimè conducere videntur: quibus tum primis, tum ſecundis mēſis tanquam conquiſitiſſimis epulis obſoniiſq; atque meris delitiis ſaluberrimè frui poteris. Quæ quāquam à tenuiſſimi ingenij homine, dicendi copia non admodum inſtructo, neceſſariiſque literarum inſtrumentis

(cum ſollicito & accurato carcere cõtineatur) in præſentia deſtituto proficiſci videntur: nihilominus ex locupletiſſimo liberæ mentis promptuario & erga T. Maieſt. perpenſiſſimæ volũtatis arcula ſunt deſumpta: Nec eſt, quod eius generis ea eſſe putes, quę non maximum in ſe deliciarum pondus habeāt: quin talia potiùs eſſe illa iudicabis, quę pro omnibus deliciarum myrotheciis, quibus mens ſynceri animúſque pij principis foueri ſolet, rectiſſimè quidem, ſi quid eſt mei iudicij, æſtimari & poſſent & deberent. Nam quid, quęſo, languenti animo vna pietate ſuauius? quid ſyncera religione delectabilius? quid animum in aduerſis certiore ſpe, meliore fiducia iugiter fouet, ſuſtentat, ac confirmat? Quid, quæſo, benignitate illa, quam φιλανθρωπίαν Græci dicunt, atque clementia, (quibus titulis vno omniũ ore vbique terrarum, neque iniuria commendaris) præclarius in terris inueniri poterit? Sunt etenim hæ præcipuæ principum virtutes & peculiaria veluti eorundem inſignia, quibus Deo non tantũ chariſſimi fiũt, ſed & quaſi exæquantur. Quas certè non poteris ipſa iure ab hac Amplit. Tuæ multis nominibus coniunctiſſima principe & ſorore (tui forſan amantiore quam à multis dicitur) certò non expectare. Quod tandem magis ſolatium mali eſſe poterit quam multos præclaros principes eiuſdem ſortis

habere ſocios? beneficiorum item, quę tam prolixè támque liberaliter in alios ſæpè contuliſti, recordatio? curæ itidem, quam de te clementiſſimus ille protector tuus Deus peculiarem perſæpè habere ſe docuit, eorũque beneficiorum, quibus te ornauit dulcis memoria, & pia pro eiſdem aſſiduáque gratiarum actio? Num illa fœlicitate quicquam in terris fœlicius eſſe poteſt, quam quòd tot Regibus orta, Regis hæres, nuptáque Regi Regem pepereris, Domina & Regni moderatrix ac Regina? Num minor eſt illa mentis alleuatio quòd præclaræ nobilitatis, optimæque indolis & ſpei Principem è ſinu tuo æditum quotidiè in imagine ſaltem, cũ pro tempore aliter non liceat, quaſi præ oculis habeas, amplectaris & foueas: per quẽ non modò viuere & regnare ipſa, ſed & nomen tuum immortale in poſteros deriuare cœleſti beneficio credenda es? Infimum deindè apud Amplit. T. non vendicet locum, quòd & ſummorum Principum, nec non tuorum procerum, populíque erga te amor tot inſignibus teſtimoniis ſit illuſtratus.

Nec interea profectò inſuauis omninò cenſendus eſt hic priuatæ vitę ſtatus, Regiæque adminiſtrationis ceſſatio, aut carceris iſtius quantumuis alioqui odioſi ſolitudo, quin potiùs vtilis ad tempus iſte ſeceſſus, hæcq; à tuis ſedibus abſentia (non exilium) cæteráque id genus, quæ pręter ſolitum tibi có-

tigere, vel Deo ita in ſalutem tuam permittente, vel operante, exiſtimentur. Imò verò iſta ſtatus conuerſione, communíque temporum conditione non deprimi, ſed multò magis excitari te ad fortitudinem, omníque moleſtia leuari decet: eo quod iſta omnia in tuum magnum honorem atque commodum tandem aliquando Dei munere ſint indubiè ceſſura. Age igitur inuicti animi Princeps, & ex veterum hiſtoriarum floſculis, apum in morem, dulciſſimos collige ſuccos. Hi etenim aduerſus omnem profectò fortunæ vim & acerbitatem quædam antidota exhibere, animum tibi probè inſtituere, ſpiritum quoque exhilarare, abundè reficere, munire ac corroborare poterunt. Non aliter atque aliquando Thebanis ipſis accidiſſe ingenij & doctrinæ inſignis ille Plutarchus ſcribit. Cum enim Alexander in Olympiis præconis voce poteſtatem feciſſet omnibus exulibus in ſuam cuíque patriam redeundi pręterquam ſolis Thebanis: Infortunatum quidem, exclamat Adamides, fuiſſe præcomiũ: ſed vobis, inquit, ô Thebani, perquam glorioſum. Solos enim vos Alexander formidat. Etenim qui permittit exulibus reditum in ſuam patriam, non metuit ne moliantur vindictam. A Thebanis igitur ſolis metuebat. Veniat tibi in mẽtem Ioſehpus ille patriarcha, *Plutarch.*

qui primum à fratribus proditus, ac deinde etiam apud Ægyptios in carcerem adulterij ſuſpicione detruſus, pòſt loco, poſt Regem proximo habitus, parentibus, fratribus, vniuerſęque genti ſuæ ſaluti & ornamento fuit. Cai. Cornel. Scipio Aſina ex conſulatu detruſus ad punica vincula, è vinculis & cathenarum hoſtilium ſeruitute ad conſulatum aſcendit. C. Marius ab exilio conſul proſcripſit eos, à quibus ipſe proſcriptus fuerat. A Delada Auguſta diu in arce Gardenſi cuſtodita, poſt imperio libertatéque recuperata Otthoni primo nupſit, & ab Otthone filio deleta Berengariorum gente carceris ſui graues ſumi pœnas vidit. Ludouicus Dux Aurelianenſis in conflictu aduerſus Regem captus, & in carcere aliquandiù cuſtoditus ad ſupplicium à Carolo 8. præter omnium opinionē liberatus & abſolutus, ei abſque liberis decedenti ſucceſſit in regnū. Maria Ludouici Vngariæ Regis filia eodem pœnè momento captiua in regni ſimul ac vitę diſcrimine verſabatur, & liberata malorum omnium metu, Auguſtę nomen & dignitatem adepta, ſuáſque vlta iniurias, exemplo mortalibus eſſe debet, quàm variæ ſint rerum humanarum vices, & quæ ſpes in maximis calamitatibus atque miſeriis haberi poſſit. Hæc, ſimiliáque multa Maieſt. T. ſuppeditabit diligens hiſtoriarum

lectio. Illa eſt, quæ animis mœrentibus facilè medetur, ſolicitudinem detrahit, timores pellit, commouétque omnia, quæ fortuna adfert incommoda, moderatè ferenda. Quid prætereà forti & ſapienti homine dignum ſit, quid grauitas, quid animi magnitudo, quid denique publica, quid priuata dignitas poſtulet atque efflagitet nobis ante oculos ponit. Demum quoniam omnem ægritudinis leuandę rationem & tranquilli animi munimentum, pręſidium, ſolatium, atque tutelam in duabus potiſſimum rebus prudenter poſuere veteres, auocatione videlicet à malorum cogitatioue, & reuocatione ad honeſtas voluptates contemplandas: vtrámque his noſtris ſcriptis etſi non potuimus ad viuum exprimere, inſinuare & adumbrare conati ſumus. Quæ quidem, Regina clariſſima, ſi benignè ſuſceperis, ſtudioſè euolueris, ſanctéque fueris meditata, ſpero poſſe firmiſſimam animi tranquillitatem tibi reddere, atque tueri, ęgritudines omnes arcere, pietatem confirmare, ſuppullulantes perturbationes extinguere, colliſos affectus redintegrare, ſalubritate ſua mentem refouere, & ab omni denique vel nouæ, vel veteris ſæuientis fortunæ impetu in ſublime erigere, vſque adeò, vt tandem ſupremi numins fauore te in eum perducat portum, vbi ſecura non modo veram animi

pacem,&tranquillitatis fructum obtinebis, ſed & in æternum cum eo qui eſt inexhauſtus fons totius conſolationis, quique abundè nos hic conſolatur in omni calamitate atque anguſtia, Angelis aſſociata choris, æterna illa & immarceſcibili gloria perfruaris. Amen.

FINIS.

PRECATIONES

ALIQVOT AD EVM MOREM, QVEM PIISSIMVS ILLE Dauid,&alij Reges,ſanctíque patres Deo chari,in anguſtiis conſtituti obſeruarunt, concinnatæ : quibus Sereniſſima Maria Scotorum Regina hoc in calamitoſo rerum ſtatu commode vti poterit.

INFIRMITATEM SVAM, ET miſerias agnoſcit, & gratiam, conſolationem,atque auxilium à Deo petit.

MIſerationum tuarum, quæ ſunt ſupra omnia opera tua memor, mitiſſime Deus, & pater clementiſſime, ad thronum gratiæ, & miſericordiæ tuę, infirma ego, & malis oppreſſa ſupplex, veniam, atque opem petitura accedo. Etſi omnia tibi qui ſcrutator es cordium,& quem nullum latet ſecretum, nuda ſint,& aperta, tamen coram magnificentia ſuauitatis tuæ, confiteor aduerſum me iniuſtitiam meam,& iniquitatem meam agnoſco,culpam detego,quę in peccatis cócepta ſum, & nata. Sed tu me ſanctiſſimo ſanguine tuo abluiſti,variis tum animi,tum

Sap 1.
Pſal 31. & 50.

corporis dotibus, aliiſque bonis intùs, & foris ornaſti, quibus tamen abuſa ſum, malum coram te feci, multa perpetraui crimina, præcepta tua, atque leges tranſgreſſa, ex eius nutu, atque voluntate, qui princeps eſt mundi, vitam tranſegi, ſpiritus maligni falſis perſuaſionibus morem gerens, neglecta interim ſancti Spiritus fida admonitione, ſicque te Dominum Deum meum ſępe, & multùm offendi, & ad iracundiam concitaui. Meritò itaque has miſerias, & calamitates voluntate, permiſſionéque tua, pro peccatis meis, indice mea conſcientia, iuſtè me perpeti cenſeo. Siquidem Iuſtus es tu Domine, & rectum iudicium tuum, non eſt vlla in te iniquitas, nec iniuria nos peccatores affligis. Scio equidem & certò mihi perſuadeo vitam hanc noſtram non temerariis nutibus agi, ſed à te Domino Deo, & patre noſtro diſponi, & gubernari. Vnde tibi tanta cura eſt omniũ, qui in tua miſericordia ſpem ſuam poſuerunt, vt nunquam eos derelinquas, nec ſinas oneri ſuccumbere, tentationibúſue ſuperari, Sed cum omni ope humana videntur deſtitui, tùm præſentem te exhibes protectorem, pręſentíque eripis diſcrimine. Perſuaſum itaque habeo, non ideo me affligi, vt perdas me penitus, & abiicias, ſed potiùs vt ſerues, & ad pœnitentiam voces, quem enim diligis hunc caſtigas. Nam res aduerſę, & tentationum procellę patien-

tiam operantur, & qui dolores ęquofert animo, ſimilis ſeruatori noſtro, & capiti Chriſto efficitur, qui humiliauit ſemetipſum, diuinę voluntati tuę, & arbitrio omnia committens, grauiſſimas paſſus afflictiones, factus eſt obediés vſque ad mortem: & idcirco tu exaltaſti eum, & ſedere feciſti iuxta te in throno tuo, atq; promiſiſti omnibus qui piam eius vitam, actionéſque imitarentur, quíque lubéter moleſtias, & perſecutiones ſuſtinerent, vt eorum luctum in gaudium, & erumnas in conſolationem, contumelias in gloriam, ac mortem denique acerbam in vitam fœlicem, & perpetuam conuerteres, & quòd ſederent, cum Chriſto in regno illo cœleſti, quod pręparaſti diligentibus te. Hac fiducia, conſtantíque ſpe freta ad te Dominum Deum meum, qui es tutiſſimum, in rebus arduis aſylum imprimis cõfugio. Et benedico te Deus meus, quia caſtigaſti me Domine & erudita ſum? bonũ enim mihi quia humiliaſti & afflixiſti me, quoniam cognoui iuſtificationes tuas, & imbecillitatem meam agnoſco, atque perſpicuè video, potentiſſimos etiam quoſque Monarchas, Reges, & Principes, ne dum mę, nihil eſſe, vel poſſe abſque tuo præſidio. Cum igitur omnis incolumitas, & ſalus abs te pendeat, cũque vniuerſo mundo propitium & miſericordem Deum te exhibueris, cum denique docueris nos, in omni noſtra ægritudine te

inuocare,tuam gratiam,& miſericordiā pō-ſcere,& afflagitare,Teque daturum omnia, quæ in nomine filij tui peterem,promiſiſti: obſecro itaque,& ſuppliciter rogo te, Deus meus, conuerte me, & conuertar, vt agam pœnitentiam.Remitte quæſo, peccata mea, & ne deſeras me in tātis anguſtiis,auxilium, robur, & ſpes mea, in te ſpem omnem habeo, ne ſinas me confundi, & dedecore, ac probro affici.Inclina aurem tuam ad me, ad liberandum,& eruendum me accelera,tu es ſalutis meæ inconcuſſa rupes, & locus munitus, vnde veluti ex propugnaculo, vitam fortunáſque meas tueri queam, tu es firmamentum meum, & domus refugij, propter nomen tuum me deducas & conſerues, O mea fortitudo, memento mei, & curam mei habe, neque facias mihi ſecundum peccata mea, quibus iram tuam commerui, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam,quę ſuperat peccata totius mundi,eripe me, atque libera de his erumnis, & anguſtiis, aut caſtiga, atque torque tuo arbitrio, quia diuinæ voluntati tuæ, & paternæ clementiæ me,meáque omnia committo. Verùm tu, O Domine, quoties me corripis, exterius, & affligis, da mihi interius indeficientem patientiam, vt in omnibus rerum mutationibus,ſine animi anxietate,aut murmure, ſine diffidentia ac deſperatione,mente tranquilla,& quieta viuā,téque magnifacere, & lau-

dare,& in te ſpem omnem,& fiduciam meã collocare valeam,benigniſſime pater humillimè peto,ignoſce,& veniam largire peccatis meis,vt adiuuante tua gratia indies renouari poſſim,omnibus huius vitæ voluptatibus valedicam,& ſemel repudiatas conſtãter relinquam,& in poſterum temperãs, ſobria,iuſta,caſta,obediens,clemẽs,mitis,modeſta, & humilis exiſtam: vt in timore tuo, Domine,ſecundum diuinam voluntatẽ tuã in hac erumnoſa vita,& lachrymarum valle verſari queam pura conſcientia, bonis operibus ditata,integra,ac ſine crimine vita,lætitia ſpirituali, & bona ſpe plena aduentum ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti expectem, per quem ad vitam, & voluptatem æternã perducar, vbi tu inter ſanctos tuos, verum lumen, ſatietas omnium, & gaudium exiſtis ſempiternum.

SAPIENTIAM POSTVLAT SIBI dari ad regendum populum.

CVmque diuinæ maieſtati tuę placuerit, ô æterne Deus, in cuius manu ſunt corda regum, vt me ancillam tuam hiſce anguſtiis liberatam, in auitum regnum reſtituas, ac populum tuũ mihi cõmiſſum ad officium,&obedientiam reuoces:da,quęſo, ancillę tuę cor docile,vti Salomoni Regi famulo tuo ſapientiã expetenti,dediſti, vt populum tuum iuſtè iudicare queam,&diſcernere inter bonum,& malum,æquum & ini-

quum.Nam tametſi quis erit conſummatũs inter filios hominum, ſi abfuerit ab illo tua ſapientia,in nihilum computabitur. Verùm quia vltra vires eſt negotium, & ſola id ſuſtinere non póſſum, te corde mentéque attentiſſima ſupplex imploro, largire mihi tuã aſſiſtricem ſapientiam atque gratiam,vt piæ Principis officio defungar, ac viros ſapientes, & timentes Déum,& qui oderint auaritiam,eligere valeam,qui mihi ſint à cõſiliis, & populo rectè conſulant,ac imperent omni tempore,remp.quoque legitimè adminiſtrent,& gladium tàm ſpiritualem,quàm ſæcularem ad defenſionem bonorũ,& malorũ ſupplicium in fide vera, & timore Dei ritè gerant,eóque,Pater, tua voluntate, & iuſſu (in cuius potenti dextra ſita ſunt omnia iura,& leges Imperiorum)iuſtè vtantur, obũbret nos virtus,& ſapientia tua,illuminet,& conſeruet nos nos in amore tuo ipſa diuina gratia:da nobis,ô Domine,ſapientiam,&intellectum:Concede pacatam gubernationẽ, vt omnes ſubditos in veritate fidei, mutua dilectione,& ſyncera iuſtitia,regere,&dicto audientes conſeruare poſſimus,vt proſpera ac laudata noſtra functione nomen tuum ſanctificetur,& laudetur in omne æuum.

PRO SALVTE PRINCIPIS FILII ſui orat. & pia eius educatione.

ET quia tu,Domine,ex mera tua bonitate atque liberali clemẽtia, hoc fœcũdo be-

neficio me donaſti, vt filius egrederetur ex vtero meo,q̨ ſedere debeat poſt me in ſolio Regni mei:ſed quoniã adhuc infans,& puer paruus eſt,ignorans quid agere debeat, Te oro,qui es veræ ſapientię fons,& per quem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, conſerua eum, & viuifica, ne patiaris eum in hoſtium, & perduellium manus incidere: largire illi tuam gratiam, vt quemadmodum tenellum corpus in dies augetur atque creſcit,vireſque, & robur acquirit: ſic & animus diuina ſapiẽtia,recta fide,& pietate erga Deum, & homines augeſcat, virtutũque incremẽta indies percipiat, taléſque adhibeas illi pręceptores, idoneos ac inſignes tenerę ętatis formãdę artifices, qui ab infantia timere Deũ, honore parẽtes afficere,iuſtitiam,& virtutem colere,à vitiis omnibus cauere,probos,atque bonos apud ſe retinere,& eorũ vti conſilio, illum exquiſitè doceant,& ita in recẽti,ac iuuenili ętate, ſciẽtia,prudẽtia,&intellectu imbuatur,& eruditus euadat,vt cum ad regni gubernacula perueniat, nihil ſapiat,nihil querat, nihil agat omnibus vitę ſuę diebus, quã quod iuſtum,rectum atque ęquũ fuerit, & ſanctiſſimę tuę voluntati imprimis placeat, in viis tuis ambulet,neque ad dextrã neque ad ſiniſtrã declinet. Da illi, domine, fortitudinem, qua populũ tuum ab hoſtiũ iniuriis defendere, & in officio, mutuáque charitate, ac

pace continere valeat, & ita deinceps in Iuſtitia, & ſanctitate viuat, vt poſt conſummatum huius vitæ curſum inter filios tuos & fideles miniſtros cooptetur, quos tua diuina maieſtas in piorum cætum congregabit, & cum illis, pro ſumma tua miſericordia, præmium æternæ beatitudinis cōſequatur.

PETIT LIBERARI A CALVMniis & linguarum virulentia vt puram atque innocentem ducat vitam.

AD hæc cum inter alias, quibus humanum genus premitur, anguſtias, Satanas hoſtis omnium communis, non deſinit integræ piorum hominum famæ atque nomini inſidias ſtruere, ac variis opprobriis, indigniſque calumniis illorum exiſtimationem lædere, traducere, atque turpitudinum notis obruere. Compeſce, Domine, rege venenatas calumniantium linguas, famamque noſtram non ſecus ac vitam tuere: melius eſt enim nomen bonum quàm lapilli pretioſi, vt Rex ille tuorum conſcius arcanorum nos edocuit, ſed hoc tam inſigne bonum, nec parare, nec ſeruare poſſumus, ſine tuo præſidio. Et quoniam finis omnis boni nominis eſt, vita inculpata, hanc gratiam Imprimis à te peto, clementiſſime pater, vt vitam puram,

& ab omni ſcelere alienam concedas & in præclaris honeſtiſque verſari, actionibus. Verū quoniã & hi qui innocenter etiam viuunt, tuti non ſunt à calumniis & virulentia eorum qui venenum aſpidum geſtant ſub labiis ſuis: neç raro fit, vt cum inter fidos amicos nos viuere credam' (quod Ezechiel propheta de ſe conqueritur) inter ſcorpiones nos habitare perſæpe ſentiamus. Cum ſancto vate tuo, obſecro te domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Tu enim Dauidem ab hoſtium calumniis, Suſannam quoque à falſo crimine & Iudicio, Et Saram Raguelis filiam ab opprobriis eripuiſti. Quòd ſi tuæ benignitati viſum eſt me hac quoque afflictione exercere ad pietatem: da, quæſo, vt cum inuicti animi duce tuo Paulo, in præceptis tuis conſtanter perſeuerem. Quicquid de me ſentiant, vel loquantur inuidi, ſiue ignominia, ſiue honore me afficiant, ſiue bonos, ſiue malos rumores de me ſpargant, Ieſu Chriſti ſaluatoris noſtri gratia, atque exemplo firmata ac munita viuam: qui & ipſe dum in terris ageret multa pacientiſſimè tulit opprobria, & Dæmoniacus, Samaritanus, vini potator, & populi ſeductor falſo appellari paſſus eſt: Idem tamen nunc regnat apud te cum ſancto ſpiritu in æterna maieſtate.

Precatio commoda pro ſe populique ſui liberatione, vt ſedatis tum ſciſmatum tum bellorum controuerſiis ac ſeditionibus, in vnitate fidei, tranquilla pace, ac mutua charitate vitam tranſigant.

QVi perpetuò dominaris, & ſolus potes omnia Deus, cœli, & terrę moderator, ad cuius nutum omnes creaturę contremiſcunt, & cęli cardines nutant: Tu, domine, me, populumque tuum ſuper quem me regnare feciſti, per ſeditiones, tumultus, bella itidem externa, atque ciuilia, captiuitatem, exilia, carceris ſqualores, & id genus mala, quibus pluribus annis vexamur propter iniquitatem noſtram multiplicem, vitam impuram, & grauia delicta, vti filios tuos, qui contra voluntatem tuam nitimur, & mandata tua negligimus iuſtæ caſtigas, atque punis, verum quia peccata noſtra coram diuina maieſtate tua confitemur, reos nos ſiſtimus, & nos quidem hiſce ęrumnis dignos agnoſcimus ad thronum gloriætuæ pro me, populoque tuo, veniam poſtulans, & ſub tuæ miſericordiæ, vmbra protegi ſperās curro. Nec clamare, & pulſare deſinam, donec commiſerationem paterni tui animi ad nos conuertas. Mitte manum tuā de alto, & libera me de manu Inimicorū meorū, ne ſupergaudeant, & inſultēt miſe-

riis meis, & dicant iam deuorabimus eam. Muni me quæſo ita tua gratia, vt omni tempore, & loco in omnibus cuſtodiar, & conſerue r: vt arceatur, & cōpeſcatur, ſęuus ille leo, qui nihil aliud macchinatur, quàm vt me peſſundet, ac dilaniet. O inuicte Deus Iſraël, qui es vnicum auxilium meum, defencio mea, atque ſalus, eripe me de his miſeriis ſicuti Dauidem de manu Saulis, & ſeditione Abſalonis liberaſti, & Manaſſem Regem à dura ſeruitute, captiuitate, & carceris tenebris, quibus apud Babylonios premebatur, liberatum in Regnum auitum reſtituiſti, atque Ezechiam eius patrem, populumque vniuerſum à graui tyrannide, atque metu potentiſſimi, hoſtis Regis Aſſyriorum, proſtrato illius per angelum tuum exercitu fortiſſimo, eruiſti: Et Aſa atque Ioſaphat Reges, & vti omnes quotquot in te confidunt liberare ſoles. In nobis enim non eſt tanta fortitudo, vt poſsimus validiſſimis hoſtibus qui irruunt in nos reſiſtere: ſed cum ignorabimus quid agere debemus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros attollamus ad te domine, apud quem nulla eſt diſtantia, an in paucis auxilieris, an in pluribus, non enim præualet homo contra te, adiuua nos domine Deus noſter, & me ſimulque vniuerſum populum ex his miſeriis quibus circumſepti ſumus eruito.

Et his temporibus turbulentiſſimus principum & ſubditorum animos rege, vt iuſtis contenti ſint conditionibus, & teterrimum bellum ex quo omne malum, omnis calamitas, tum animæ tum corporis pernicies emanat, bonis rationibus componatur, & ſedetur, vt publica pax, & tranquillitas conſtituatur. Quia tu es Deus pacis, dilectionis, & concordiæ, non autem diſſidij, & diſſenſionis. Te oramus, benigniſſimè pater, atq; obſecramus, vt per ſpiritum ſanctum tuum animos populi tui, in varias etiam ſectas impiarum opinionum varietate diſperſos, in vnitatem purę & Chriſtianæ fidei redigas, diſſipatáſque mentes in vnum corpus redintegres, errores tollantur, controuerſię, & digladiationes diſſipentur, & pernicioſa dogmata radicitus ex animis hominũ euellantur, vt in vnam mentem, atque ſententiam piè coaleſcẽtes vnanimi conſenſu, vnóque ore te cœleſtem patrem dominum atque Deum laudent, celebrent, & religioſè, ſanctéque colant, fac etiam vt opera noſtra fidei conueniant, & reſpondeant, ne fides recta malis operibus polluatur, & fœdetur, ne te vita impura abnegare videamur, quem fide vera confitemur. Hãc etiam præſta nobis gratiam, vt ea tantum ſequamur, & cõfiteamur, quæ tua ſancta Eccleſia ſpiritu veritatis munita docet, & confitetur. Et effunde ſuper populum tuum diuitem

miſericordiam tuam, & eos qui in ergaſtulis, & exiliis atque amara ſeruitute, in quacunque anguſtia & anxietate detinentur eripito, errantes in viam reuoca, coniuges in pace & concordia cõſerua, promptuaria eorum adimple omni bono, Iuuentutẽ contine, ſenectutem ſuſtenta, abiectos conſolare, viduis patrocinare, orphanos, atque pauperes protegito, & erue Domine regnum noſtrum, & omnem regionem, ac ciuitatem à fame, peſtilentia, terræ motu, demerſione, igne, gladio, incurſu alienigenarum, & ciuili bello, vt in pace tranquilla, hoſtiúmque ſublata formidine in ſecuritate animorum, & corporum nomen tuum celebremus, & ſecundum tuam voluntatem, & iuſſa faciamus, donec in æternam illam patriam per Ieſum Chriſtum recipiamur.

CONSOLATIO QVA SE ERIGIT, propter immenſam charitatem Dei patris, & ſeruatoris noſtri, ſimul promittens ſe Dei ope atque gratia innocenter ac ſanctè piorum exemplo in poſterum victuram.

ECce clemẽtiſsimè Domine, Deus meus, rogaui quibus egeo, indicaui quæ timeo, & quamuis multa petij, fateor tamen me ne pauca quidem promeruiſſe. Sed ad quem in miſeriis fugere debeam niſi ad te? Cui potius querelas deferam quam tibi? à

quo remedium, & conſolationem petam, niſi à te? tu es enim Deus mens infinitę potentiæ, cui nihil eſt difficilè qui caput meũ obumbrare poteris in tempore belli: Spes mea in die afflictionis, & ſalus in tempore tribulationis, Tu es pater meus, cuius tanta eſt clementia & paterna pietas in filios, vt neminem ab exordio mundi auerſatus ſis, aut cótemptim reieceris, qui tuam gratiam & auxilium petiit, Tu animæ meę & medicus es, & ſeruator, qui illis ſolis te impẽdis, qui conſolationem huius mundi pro tua perpetua cónſolatione contemnunt. Nemo eum poteſt, in vtroq; ſeculo voluptate perfrui, nec poteſt hoc, & futuro gaudere. Qui in ęterna vita vult exultare, triumphos huius vitę contemnat, Te igitur rogo, conſolator animę meę, mitte de ſancta ſede maieſtatis tuę ſpiritum tuum paracletum, qui mentem meam illuſtret, voluntatem gubernet, & cunctas meas actiones in via Iuſticię tuę dirigat, vt ad quamcũque rem applicem animum meum, is mihi ſit propoſitus finis, vt tibi, honorique tuo inſeruiam, nec quicquam aggrediar, quod tibi gratum non ſit, & pręter te nullam voluptatem exquiram. Sed ex tua gratia, ęterna, & vera conſolatione tua dignus afficiar. Tu námque per angelos tuos cóſolatus es Iacob in exilio ſuo, cum à facie Eſau fratris ſui fugeret, qui piũ tunc nuncupauit Deo ſuo votum, vt ſi Do-

minus eum cuſtodierit, & ſaluum, ac incolumẽ, in domum patris ſui reduceret, futurus illi eſſet in Deum, eúmque oleret omnibus vitæ ſuæ diebus. Ita Dauid à facie Abſalonis fugiens, & tuam implorans miſericordiam promiſerat ſe in poſterum tempus innocenter victurum, & pios atque bonos duntaxat apud ſe habiturum, qui illi à conſiliis forent, & rerum ſuarum curam gererent, quod vterque reſtitutus ſtudioſè perſoluit. Horum exemplo mihi propoſita eſt voluntas tibi in omnibus placendi, at tamen ſine tua gratia me nequaquam præſtare poſſe ſatis perſpectum habeo: Cum omne datum optimum, & omne donũ perfectum de ſurſum ſit deſcendens à patre luminum. Quare deſideratiſſimè, & corde meo dilectiſſimè Domine, te ſupplicitet oro, vt des mihi integram, & puram mẽtem, ſimplex & rectum propoſitũ, vt nec Committã, nec committã quicquam, nec in tota vita quæram aut concupiſcam aliud, quàm quod diuinæ maieſtati tuę imprimis arrideat, & ſit animæ meæ vtile ac ſalutare, & vt te dominum Deum meũ, Regem regum, ac dominum dominantium cum omni reuerentia, fide, humilitate, ac dilectione agnoſcere, colere & venerari, atque pro ſummis beneficiis tuis gratias agere valeam, & tuo præſenti adiuta numine opera iuſticiæ perficiam, regnum tuum cœleſte toto ex

corde quæram, vt tandem per te, & tecum ad æternam lucem & requiem peruenire queam. Amen.

Ezechiæ Regis oratio Sancta. Eſa. 39.
Fiat pax & veritas in diebus meis.

ORATIO EFFICAX QVA SERENISSIMÆ REGINÆ SVBditi, hoc calamitoſo tempore, quotidiè vti poterunt.

PECCATORVM VENIAM, & ab anguſtiis, & ſeditionibus liberari, pacem, & quietem publicam tum ſibi, tum vniuerſo populo dari poſtulant: & pro ſuæ principis incolumitate, & reſtitutione ac filij ſui pia educatione Deum obnixè rogant.

CLEMENS, longanimis, & multæ miſericordiæ Domine Deus, & pater benigniſſime, qui ex nihilo feciſti omnia, qui creaſti hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, omnibúſque tuis donis eum ornaſti: Sed deliquentem, & mandata tua tranſgredientem ſtatu illo fœliciſſimo, & paradiſo

eum eiecisti: Cuius peccato nos omnes inquinati, miſeriis, ac huius vitæ ærumnis facti ſumus obnoxij. A quibus quidem, niſi per tuam gratiam atque clementem miſericordiam nequaquam liberari poſſumus, Tu etenim non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium: Sed ſtatuiſti pœnitentiam in ſalutem, & remiſſionē omnium peccatorum, vt conuertantur, & viuant. Quippe qui dixiſti, nolo mortem peccatoris, & quotieſcunq; ingemuerit peccatōr omnium peccatorum eius non recordabor. In tua itaque clemēti bonitate ſpem omnem, atque fiduciam noſtram reponentes ſupplices, & proſtrati coram diuina maieſtate tua reos nos ſiſtimus, confitentes delicta noſtra. Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obſeruauimus, nec fecimus ſicut præceperas, vt bene nobis eſſet. Et ideo hæc mala quæ induxiſti ſuper nos, & vniuerſa quę feciſti nobis, vero Iudicio feciſti, quia vniuer opera tua, & iudicia tua vera ſunt, & vię tuę rectæ: Tradidiſti enim nos in manus inimicorū noſtrorū: & nunc Domine imminuti ſumus pluſquam omnes gentes, ſumuſque humiles, & abiecti in vniuerſa terra hodie propter peccata noſtra. Et non eſt in tempore hoc apud nos vllus timor Dei, aut verus eius cultus, neque legitimæ poteſtati, &

principi debita obedientia, aut legum obſeruatio: Non eſt ſenatus, iudicium, neque pauperum, innocentum, aut oppreſſorum cura: ſed confuſio, & opprobrium facti ſumus coram te. Etenim Sathanas communis humani generis hoſtis nos regnum quoque noſtrum, ac populum vniuerſum tàm atrocibus, & inteſtinis vexat ſeditionibus, vt non deſinat vniuerſa miſcere, atque turbare priuata ac publica, ſacra, prophanaque omnia, nullum boni ac mali diſcrimen agitur: ſed quilibet pro ſuo arbitratu dominatur, & innocentes ſpoliat ac opprimit. Quæ quidem, ô Domine, qui omnia noſti antequam fiāt, ſatis tibi cognita ſunt & nos pro peccatis noſtris, eadem meritò perpeti confitemur. Verum nunc pater piiſſime cōuertimur ad te in toto corde noſtro, & timemus te, & in anima contrita, & ſpiritu humilitatis, quęrimus faciem tuam, flectentes genua cordis noſtri: fac nobiſcum iuxta mā-ſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, ne confundas nos, ſed exaudi nos ſupplicibus verbis te orantes, & erue nos de his malis, & periculis quibus inuoluti ſumus, libera nos ab omni tentatione, & inuaſione Sathanæ & hominum iniquorum: & ne tuum auxilium à nobis auertas, noſque ne grauius corripias quàm vires noſtrę ferant. His namque tempeſtatibus ſuperandis nos non ſufficimus:

ſed tu, ô Domine, potẽs es ſeruare nos, & eripere, à cunctis calamitatibus, & miſeriis. Libera nos Deus pro tua bonitate ab omnibus anguſtiis & moleſtiis quibus circũſepti ſumus: vt pura conſcientia & grato animo tibi ſeruiam⁹. O Rex benedicte, paſtorq; fidiſſime cuſtodi animas noſtras, & nos miſeros defẽde, protege nos & ſerua ſub vmbra alarum tuarum. Porrige famulis tuis præpotentem dexteram tuam, & cœlitus auxilium demitte, vt te vnũ ex toto corde quęramus. Et quidquid licitum, atque æquum à te pecierimus, id per Chriſtum aſſequamur. Et libera Domine populum tuum ab omni clade, calamitate, ira, periculo, neceſſitate, hoſtium inſultu, captiuitate, morte amara, & iniquitatibus: ægros ſana, qui es medicus animarum & corporum. Cõcede nobis quietam pacem, vt dies omnes in perfectione, ſanctitate, & ſine peccato tranſigamus: Et vt in Chriſtiana ſinceráque fide ad extremũ vitæ ſpiritum ſine dolore, moleſtia, ac infamia perſeueremus: Vt errãtes reuertantur, & redeant ad pietatem, infirmi conualeſcant captiui liberentur, & per viſcera miſericordiæ tuæ dele delicta, & pura redde labia noſtra, & corda ab omni inquinatione carnis, & ſpiritus: Et auerte à nobis omnem cogitationẽ turpẽ, & inſipientẽ, vt ſub tua potentia ſemper protecti, & in luce veritatis tibi gloriam, & gratiarum actionem referamus, &

tandem cœleſtia,& æterna tua dona percipiamus, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ preparaſti diligentibus te.

Et tu Domine Deus, ac pater cæleſtis, cuius potentia incomparabilis, miſericordia immenſa,& ineffabilis eſt gloria, qui per tuā ſummāprouidamque ſapiētiam cuncta quæ in cœlis,& quæ in terris ſunt ritè, atque ordine decen i gubernas, & ideo ob communem hominum ſocietatem in officio, pace, & mutua charitate conſeruandam, magiſtratus in terris conſtituiſti, ad ſupplicium malorum, bonorum premium. ſine quibus per anarchian omnia cōfuſa iacēt,& ſumma plerunq; imperia funditus emota atq; concuſſa pereūt (prout nos re ipſa ſūma noſtro damno ſumus experti, cū nuſquā cōſilio, aut legitimę poteſtati ſit apud nos locus) ROgamus te, mitiſſime Rex, qui es Deus concordiæ, pacis,& dilectionis, Te inquam humili, cordeq; deuoto flagitiorū, ac ſcelerū pœnitudine affecti, ſupplices obteſtamur, vti cōpoſitis, ac ſedatis omnibus controuerſiis,& ſeditionibus Sereniſſimam principē noſtrā ac Reginam Mariam, quæ nobis iuſtè & legitimè Imperare debet, ab exilio, captiuitate,& aliis quibuſcumque periculis liberes, atque regno,& auito imperio reſtituas, illíque pacem, in bonis perſeuerantiam, ſanitatem, atque ſalutem dones, & in amplitudi-

nem ei cooperari,'& omnium conſiliorum fœlicem,ſucceſſum prebere digneris, Concede etiam illi gratiam tuam,ac ſapientiam, vti Solomoni Regi famulo tuo dediſti ad regendum, & iuſtè gubernandum populum ſuum,vt iuſtè diſcernere poſſit inter ęquum & iniquum, necnon vt tales eligat magiſtratus inferiores, viros nempe ſapientes & timentes Deum, qui ei ſint à conſiliis, & rempub.ritè,& iuſtè adminiſtrent,& gubernent:Ita vt nos omnes in iuſticia, & ſanctitate, ſincera fide, mutua charitate, & dilectione,quietam,& tranquillam vitam ducamus in omni Dei cultu,& ſobrietate, sāctis legibus, & mandatis tuis obtemperantes, principibus,atque magiſtratibus noſtris iuſtè imperantibus obedientes, & amorem mutuum inuicem retinentes:Et ſic pro filiis tuis agnoſcamur, & æternam percipiamus hæreditatem in regno tuo. Ad hæc cum inter grauiſſimas haſce, quib9 premimur anguſtias, illud non modico nobis ſolatio ſit, quod tuo diuino munere, partu legitimæ Principis noſtrę editus ſit filius,qui optimo iure, Regni noſtri hæres, atque Princeps, Regina matre ſua cedente, fieri debeat, qui tamen adhuc infans eſt, & ob id rerum omnium quaſi penitus ignarus. Tuam igitur obſecramus clementiam, vti eius animum diuina tua ſapientia, & pietate erga Deum, & homines in hac tenera ætate ita imbuas,

vt cum ſceptri regimen iure ſuſceperit, omnia quę ad munus ſuum pertinent ritè, & debitè exequatur ad Dei opt. max. gloriam, & omnium ſubditorum pacem,& quietem. Et nunc tu Deus noſter, qui communibus, & coniunctis votis, & rite conſpirantibus animis, ac voluntatibus preces tibi nuncupari voluiſti, & duobus vel tribus congregatis in nomine tuo daturũ poſtulata promiſiſti: Ipſe nunc ſeruorum tuorum petitiones ad id quod conferat annue, largire nobis in pręſenti ſeculo, veritatis agnitionem, pacem, & piam quietem: & in futuro, fac nos requieſcere quando voles, & vt voles in regione viuentium, in regno tuo, in deliciis paradiſi, in ſinu Abrahę, Iſaac, & Iacob: vnde exulat dolor, triſtitia & gemitus: vbi pręſidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget: vt tibi gloriam, & gratiarum actionem offerre poſſumus, quoniam te decet omnis gloria, honor & magnificentia Patrẽ filium & ſpiritum ſanctum, Amen.

AD DEVM OPT. MAX. D.
MARIÆ SCOTORVM REGINÆ pro vitæ & ſtatus ſui incolumitate Quotidianus Hymnus: Ad imitationem Pſalmi 71. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis, &c.

Deus celſi moderator orbis,
Corda qui Regum regis & tueris,
Mitis exaudi mea quas profundit
Lingua querelas.
Sæpè tu duris animum probaſti
Caſibus: nunquam at grauibus periclis
Obrui es paſſus, mihi nunc benignam
Porrige dextram.
Nam mea vitæ inſideantur hoſtes,
Imminet famæ petulánſque lingua,
Regio pulſam ſolio inſequuntur
Dira minantes.
O Parens ſancte, anchora qui ſalutis
Certa, ſpes feſſis, refugis aſylum,
Tot malis fractæ fer opem, & leuamen
Rebus in arctis.
Splendidos cultus, nitidáſue gemmas
Non peto, auri nec cumulum micantis,
Mollibus nec deliciis frui, ſed
Mente quieta.
Indè pax concors, genitrix quietis,
Spiritum dulci recreans liquore,
Æquitas & ius animum ſocillans

Pane ſuaui.

O Pater tu ſpe recreas ſalutis,
Quos pio cernis ſtudio teneri:
Da mihi mentem probitate plenam in
Corpore ſano.

Vincla laxentur veniat ſerenum,
Si voles, tempus: valeatque ſemper
Filius, quæſo, mihi charus atque
Vnicus hæres.

Da tuæ nobis Deus æquitatis
Aſſequi legem, patriæ ad ſalutem:
Cedat hæc audax inopum rapina
Legibus æquis.

Pace lætetur populus, ſimulque
Te colant cuncti: pietas, fideſque
Regnet in terris, procul omne ſciſma
Semper abeſto.

Vt tuas laudes canat omnis ætas,
Nomen auguſtum ſileat nec vnquam
Lingua, tu nobis bone rector orbis
Conſule feſſis.

Fac tua leni bonitate tandem
Gaudio tecum placidè fruamur
Liberi curis, animiſque læti
Omne per æuum.

Io. E. R.

1.006.016

INDEX CAPITVM PRIORIS LIBRI.

DAuid, Rex pius, afflicti Principis imago, ſua animi magnitudine, aduerſa patienter ferenda docet cap.1. fol.1.

Peccata ærumnarum & malorum, quibus etiam Deo chari frequenter vrgentur, cauſæ cap.2.f.3

Afflictiones Dei prouidentia, non à fortuna proueniunt cap.3.fo.6

Deus ſuos vti filios corripit, & tentationibus probat. Improbi verò, etſi proſperè videantur nonunquã viuere, miſerè tamen plerunque pereunt cap.4.fo.6

Armis ſpiritalibus, & iuſtis adminiculis Satanæ tela, & omnem iniuriam virorum fortium exemplo propellere licet cap.5.fo.10

Vt magna ſæpe commoda ex malis proueniunt, ita vice verſa, proſpera ſæpe nocent, & virtuti obicem ponunt, ideo ob pietatem ſpernenda cap.6. fo.12.

Deus afflictis ſe præſentem exhibet, ipſoſque ſolatur cap.7.fo.16

Afflicti animi remedia agnitione peccati purgandus eſt animus: anteactæ vitæ mores reformandi cap.8.fo.17

Ieiunio & abſtinentia tam à vitiis quàm cibis attenuanda ſunt corpora, Miſericordiæ opera exercenda cap.9.fo.19

Aſsidua diuini numinis inuocatio præſentiſsimum in malis remedium, vbi orationis vis & vtilitas explicatur cap.10 fo.20
Orationi inſiſtendum etſi dominus non ſtatim ſubueniat: & cur petitionibus noſtris non ſemper annuit: Conſtanter Deo fidendum: ſpes certa tutiſsimum in aduerſis aſylum cap.11.fo.23
Illecebrarum mundi contemptus cap.12.fo.26
Mors piis grata, etſi impiis terribilis, non tamen metuenda cap.13.fo.28
Ardens æternæ vitæ deſiderium, gloriæq́ cæleſtis contemplatio afflictis valde iucunda cap.14. fo.30
Pia Ethnicorum ſententia de animorum immortalitate, æternâque felicitate cap.15.fo.32
Nihil magis afflictorum animos ſolatur quàm ſacrarum literarum lectio aſsidua cap.16.fo.34
Patientiæ vis & fructus, & ad eandem exhortatio cap.17. ibid.
Literarũ Sereniſsimæ D. Mariæ Scotorum Reginæ ad Epiſcopum Roſſenſem Scotico idiomate ſcriptarum, verſio latina fo.37
Meditation faite par la Royne d'Eſcoce, douairier de France, recueillie d'vn liure des conſolations diuines, compoſez par l'Eueſque de Roſſe fo.38.
Eadem meditatio latinè fo.40

Poſterioris libri capita.

Authoris Epiſtola, & verſus ad Sereniſsimam Reginam Scot. fo.43

Authoris erga ſuam Principem fides, & integritas: & in quem finem hunc librum ſcripſerit cap.1.fo.46
Principi ſuæ gratulatur ob animi tranquillitatem, & quibus modis eadem conſeruari poßit edocet. cap.2.fo.49
Munimentum animi præſentißimum pietas, vbi quæ ſit vera religio, illiuſque fructus & vtilitas, Authoris ſententia, & fidei confeßio cap.3, fo.50.
Piorum principum exitus ſemper fœlices, etſi interdum in medio curſu malis non careant, ſpe igitur alenda eſt mens cap.4.fo.54
Gratißimæ ſpei, atque clementiæ argumenta efficacia cap.5.fo.55
Mutua inter Scotiæ & Angliæ Reges beneuolentiæ & humanitatis communicatio variis ex hiſtoriis petita: Nihil æque principes decet ac clementia cap.6 fo.57
Saluberrimis animi cibus, eiuſdémque æpula ſplēdidißima cap.7.fo.61
Communis principum hac noſtra ætate calamitas æquo, fortique animo ferenda, quòd mala multis communia leuius feriunt cap.8.fo.62.
Exhortatur principes vt debitè ſuum exequantur munus, & vnde tanta in inſulis ſeditionum frequentia, quarum authores diro exitu ſæpißimè pereunt cap.9.fo.64
Rectæ voluntatis conſcientia, & benefactorum recordatio ſummū in malis ſolatium cap.10.fo.71

principi debita obedientia, aut legum obſeruatio: Non eſt ſenatus, iudicium, neque pauperum, innocentum, aut oppreſſorum cura: ſed confuſio, & opprobrium facti ſumus coram te. Etenim Sathanas communis humani generis hoſtis nos regnum quoque noſtrum, ac populum vniuerſum tàm atrocibus, & inteſtinis vexat ſeditionibus, vt non deſinat vniuerſa miſcere, atque turbare priuata ac publica, ſacra, prophanaque omnia, nullum boni ac mali diſcrimen agitur: ſed quilibet pro ſuo arbitratu dominatur, & innocentes ſpoliat ac opprimit. Quæ quidem, ô Domine, qui omnia noſti antequam fiãt, ſatis tibi cognita ſunt & nos pro peccatis noſtris, eadem meritò perpeti confitemur. Verum nunc pater piiſſime cõuertimur ad te in toto corde noſtro, & timemus te, & in anima contrita, & ſpiritu humilitatis, quęrimus faciem tuam, flectentes genua cordis noſtri: fac nobiſcum iuxta mãſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, ne confundas nos, ſed exaudi nos ſupplicibus verbis te orantes, & erue nos de his malis, & periculis quibus inuoluti ſumus, libera nos ab omni tentatione, & inuaſione Sathanæ & hominum iniquorum: & ne tuum auxilium à nobis auertas, noſque ne grauius corripias quàm vires noſtrę ferant. His namque tempeſtatibus ſuperandis nos non ſufficimus:

